

RITCHIE'S FABULAE FACILES A FIRST LATIN READER EDITED BY JOHN COPELAND KIRTLAND, JR. PROFESSOR OF LATIN IN THE PHILLIPS EXETER ACADEMY. MARCH, 1903. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEAUSP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN.

SOURCE: Project Gutenberg EBook. Title: Ritchie's Fabulae Faciles A First Latin Reader. Author: Various. Editor: John Kirtland. Posting Date: February 24, 2015 [EBook #8997] Release Date: September, 2005 First Posted: August 31, 2003 Last Updated: October 14, 2017. Language: Latin. Produced by Karl Hagen, Tapio Riikonen and Online Distributed Proofreaders.

http://www.gutenberg.org/ebooks/8997

RITCHIE'S FABULAE FACILES A FIRST LATIN READER EDITED WITH NOTES AND A VOCABULARY BY JOHN COPELAND KIRTLAND, JR. PROFESSOR OF LATIN IN THE PHILLIPS EXETER ACADEMY. JOHN C. KIRTLAND, JR. EXETER, N.H., 7 March, 1903. PROJECT GUTENBERG EBOOK.

INTRODUCTORY NOTE

In the vocabulary, the derivation or composition and the original meaning of words have been indicated wherever these seemed likely to prove helpful. Principal parts and genitives have been given in such a way as to prevent misunderstanding, and at the same time emphasize the composition of the verb or the suffix of the noun: for example, abscido, -cidere, -cidi, -cisus; aetas, -tatis.

CONTENTS OF THE ORIGINAL: THE MYTHS IN ENGLISH LITERATURE. THE MYTHS IN ART. INTRODUCTORY NOTE. PERSEUS. HERCULES. THE ARGONAUTS. ULYSSES. NOTES. VOCABULARY.

RITCHIE'S FABULAE FACILES A FIRST LATIN READER

PERSEUS

Acrisius, an ancient king of Argos, had been warned by an oracle that he should perish by the hand of his grandson. On discovering, therefore, that his daughter Danae had given birth to a son, Acrisius endeavored to escape his fate by setting both mother and child adrift on the sea. They were saved, however, by the help of Jupiter; and Perseus, the child, grew up at the court of Polydectes, king of Seriphos, an island in the Aegean Sea. On reaching manhood, Perseus was sent by Polydectes to fetch the head of Medusa, one of the Gorgons. This dangerous task he accomplished with the help of Apollo and Minerva, and on his way home he rescued Andromeda, daughter of Cepheus, from a sea-monster. Perseus then married Andromeda, and lived some time in the country of Cepheus. At length he returned to Seriphos, and turned Polydectes to stone by showing him the Gorgon's head; he then went to the court of Acrisius, who fled in terror at the news of his grandson's return. The oracle was duly fulfilled, for Acrisius was accidentally killed by a quoit thrown by Perseus.

1. THE ARK

Haec narrantur a poetis de Perseo. Perseus filius erat Iovis, maximi deorum; avus eius Acrisius appellabatur. Acrisius volebat Perseum nepotem suum necare; nam propter oraculum puerum timebat. Comprehendit igitur Perseum adhuc infantem, et cum matre in arca lignea inclusit. Tum arcam ipsam in mare coniecit. Danae, Persei mater, magnopere territa est; tempestas enim magna mare turbabat. Perseus autem in sinu matris dormiebat.

2. JUPITER SAVES HIS SON

Iuppiter tamen haec omnia vidit, et filium suum servare constituit. Tranquillum igitur fecit mare, et arcam ad insulam Seriphum perduxit. Huius insulae Polydectes tum rex erat. Postquam arca ad litus appulsa est, Danae in harena quietem capiebat. Post breve tempus a piscatore quodam reperta est, et ad domum regis Polydectis adducta est. Ille matrem et puerum benigne excepit, et iis sedem tutam in finibus suis dedit. Danae hoc donum libenter accepit, et pro tanto beneficio regi gratias egit.

3. PERSEUS IS SENT ON HIS TRAVELS

Perseus igitur multos annos ibi habitabat, et cum matre sua vitam beatam agebat. At Polydectes Danaen magnopere amabat, atque eam in matrimonium ducere volebat. Hoc tamen consilium Perseo minime gratum erat. Polydectes igitur Perseum dimittere constituit. Tum iuvenem ad se vocavit et haec dixit: "Turpe est hanc ignavam vitam agere; iam dudum tu adulescens es. Quo usque hic manebis? Tempus est arma capere et virtutem praestare. Hinc abi, et caput Medusae mihi refer."

4. PERSEUS GETS HIS OUTFIT

Perseus ubi haec audivit, ex insula discessit, et postquam ad continentem venit, Medusam quaesivit. Diu frustra quaerebat; namque naturam loci ignorabat. Tandem Apollo et Minerva viam demonstraverunt. Primum ad Graeas, sorores Medusae, pervenit. Ab his talaria et galeam magicam accepit. Apollo autem et Minerva falcem et speculum dederunt. Tum postquam talaria pedibus induit, in aera ascendit. Diu per aera volabat; tandem tamen ad eum locum venit ubi Medusa cum ceteris Gorgonibus habitabat. Gorgones autem monstra erant specie horribili; capita enim earum anguibus omnino contecta erant. Manus etiam ex aere factae erant.

5. THE GORGON'S HEAD

Res difficillima erat caput Gorgonis abscidere; eius enim conspectu homines in saxum vertebantur. Propter hanc causam Minerva speculum Perseo dederat. Ille igitur tergum vertit, et in speculum inspiciebat; hoc modo ad locum venit ubi Medusa dormiebat. Tum falce sua caput eius uno ictu abscidit. Ceterae Gorgones statim e somno excitatae sunt, et ubi rem viderunt, ira commotae sunt. Arma rapuerunt, et Perseum occidere volebant. Ille autem dum fugit, galeam magicam induit; et ubi hoc fecit, statim e conspectu earum evasit.

6. THE SEA-SERPENT

Post haec Perseus in finis Aethiopum venit. Ibi Cepheus quidam illo tempore regnabat. Hic Neptunum, maris deum, olim offenderat; Neptunus autem monstrum saevissimum miserat. Hoc cottidie e mari veniebat et homines devorabat. Ob hanc causam pavor animos omnium occupaverat. Cepheus igitur oraculum dei Hammonis consuluit, atque a deo iussus est filiam monstro tradere. Eius autem filia, nomine Andromeda, virgo formosissima erat. Cepheus ubi haec audivit, magnum dolorem percepit. Volebat tamen civis suos e tanto periculo extrahere, atque ob eam causam imperata Hammonis facere constituit.

7. A HUMAN SACRIFICE

Tum rex diem certam dixit et omnia paravit. Ubi ea dies venit, Andromeda ad litus deducta est, et in conspectu omnium ad rupem adligata est. Omnes fatum eius deplorabant, nec lacrimas tenebant. At subito, dum monstrum exspectant, Perseus accurrit; et ubi lacrimas vidit, causam doloris quaerit. Illi rem totam exponunt et puellam demonstrant. Dum haec geruntur, fremitus terribilis auditur; simul monstrum horribili specie procul conspicitur. Eius conspectus timorem maximum omnibus iniecit. Monstrum magna celeritate ad litus contendit, iamque ad locum appropinquabat ubi puella stabat.

8. THE RESCUE

At Perseus ubi haec vidit, gladium suum eduxit, et postquam talaria induit, in aera sublatus est. Tum desuper in monstrum impetum subito fecit, et gladio suo collum eius graviter vulneravit. Monstrum ubi sensit vulnus, fremitum horribilem edidit, et sine mora totum corpus in aquam mersit. Perseus dum circum litus volat, reditum eius exspectabat. Mare autem interea undique sanguine inficitur. Post breve tempus belua rursus caput sustulit; mox tamen a Perseo ictu graviore vulnerata est. Tum iterum se in undas mersit, neque postea visa est.

9. THE REWARD OF VALOR

Perseus postquam ad litus descendit, primum talaria exuit; tum ad rupem venit ubi Andromeda vincta erat. Ea autem omnem spem salutis deposuerat, et ubi Perseus adiit, terrore paene exanimata erat. Ille vincula statim solvit, et puellam patri reddidit. Cepheus ob hanc rem maximo gaudio adfectus est. Meritam gratiam pro tanto beneficio Perseo rettulit; praeterea Andromedam ipsam ei in matrimonium dedit. Ille libenter hoc donum accepit et puellam duxit. Paucos annos cum uxore sua in ea regione habitabat, et in magno honore erat apud omnis Aethiopes. Magnopere tamen matrem suam rursus videre cupiebat. Tandem igitur cum uxore sua e regno Cephei discessit.

10. POLYDECTES IS TURNED TO STONE

Postquam Perseus ad insulam navem appulit, se ad locum contulit ubi mater olim habitaverat, sed domum invenit vacuam et omnino desertam. Tris dies per totam insulam matrem quaerebat; tandem quarto die ad templum Dianae pervenit. Huc Danae refugerat, quod Polydectem timebat. Perseus ubi haec cognovit, ira magna commotus est; ad regiam Polydectis sine mora contendit, et ubi eo venit, statim in atrium inrupit. Polydectes magno timore adfectus est et fugere volebat. Dum tamen ille fugit, Perseus caput Medusae monstravit; ille autem simul atque hoc vidit, in saxum versus est.

II. THE ORACLE FULFILLED

Post haec Perseus cum uxore sua ad urbem Acrisi rediit. Ille autem ubi Perseum vidit, magno terrore adfectus est; nam propter oraculum istud nepotem suum adhuc timebat. In Thessaliam igitur ad urbem Larisam statim refugit, frustra tamen; neque enim fatum suum vitavit. Post paucos annos rex Larisae ludos magnos fecit; nuntios in omnis partis dimiserat et diem edixerat. Multi ex omnibus urbibus Graeciae ad ludos convenerunt. Ipse Perseus inter alios certamen discorum iniit. At dum discum conicit, avum suum casu occidit; Acrisius enim inter spectatores eius certaminis forte stabat.

HERCULES

Hercules, a Greek hero celebrated for his great strength, was pursued throughout his life by the hatred of Juno. While yet an infant, he strangled some serpents sent by the goddess to destroy him. During his boyhood and youth he performed various marvelous feats of strength, and on reaching manhood succeeded in delivering the Thebans from the oppression of the Minÿae. In a fit of madness sent upon him by Juno, he slew his own children; and on consulting the Delphic oracle as to how he should cleanse himself from this crime, he was ordered to submit himself for twelve years to Eurystheus, king of Tiryns, and to perform whatever tasks were appointed him. Hercules obeyed the oracle, and during the twelve years of his servitude accomplished twelve extraordinary feats known as the Labors of Hercules. His death was caused unintentionally by his wife Dejanira. Hercules had shot with his poisoned arrows a centaur named Nessus, who had

insulted Dejanira. Nessus, before he died, gave some of his blood to Dejanira, and told her it would act as a charm to secure her husband's love. Some time after, Dejanira wishing to try the charm soaked one of her husband's garments in the blood, not knowing that it was poisoned. Hercules put on the robe, and after suffering terrible torments died, or was carried off by his father Jupiter.

12. THE HATRED OF JUNO

Hercules, Alcmenae filius, olim in Graecia habitabat. Hic omnium hominum validissimus fuisse dicitur. At Iuno, regina deorum, Alcmenam oderat et Herculem adhuc infantem necare voluit. Misit igitur duas serpentis saevissimas; hae media nocte in cubiculum Alcmenae venerunt, ubi Hercules cum fratre suo dormiebat. Nec tamen in cunis, sed in scuto magno cubabant. Serpentes iam appropinquaverant et scutum movebant; itaque pueri e somno excitati sunt.

13. HERCULES AND THE SERPENTS

Iphicles, frater Herculis, magna voce exclamavit; sed Hercules ipse, fortissimus puer, haudquaquam territus est. Parvis manibus serpentis statim prehendit, et colla earum magna vi compressit. Tali modo serpentes a puero interfectae sunt. Alcmena autem, mater puerorum, clamorem audiverat, et maritum suum e somno excitaverat. Ille lumen accendit et gladium suum rapuit; tum ad pueros properabat, sed ubi ad locum venit, rem miram vidit, Hercules enim ridebat et serpentis mortuas monstrabat.

14. THE MUSIC-LESSON

Hercules a puero corpus suum diligenter exercebat; magnam partem diei in palaestra consumebat; didicit etiam arcum intendere et tela conicere. His exercitationibus vires eius confirmatae sunt. In musica etiam a Lino centauro erudiebatur (centauri autem equi erant sed caput hominis habebant); huic tamen arti minus diligenter studebat. Hic Linus Herculem olim obiurgabat, quod non studiosus erat; tum puer iratus citharam subito rapuit, et omnibus viribus caput magistri infelicis percussit. Ille ictu prostratus est, et paulo post e vita excessit, neque quisquam postea id officium suscipere voluit.

15. HERCULES ESCAPES SACRIFICE

De Hercule haec etiam inter alia narrantur. Olim dum iter facit, in finis Aegyptiorum venit. Ibi rex quidam, nomine Busiris, illo tempore regnabat; hic autem vir crudelissimus homines immolare consueverat. Herculem igitur corripuit et in vincula coniecit. Tum nuntios dimisit et diem sacrificio edixit. Mox ea dies appetebat, et omnia rite parata sunt. Manus Herculis catenis ferreis

vinctae sunt, et mola salsa in caput eius inspersa est. Mos enim erat apud antiquos salem et far capitibus victimarum imponere. Iam victima ad aram stabat; iam sacerdos cultrum sumpserat. Subito tamen Hercules magno conatu vincula perrupit; tum ictu sacerdotem prostravit; altero regem ipsum occidit.

16. A CRUEL DEED

Hercules iam adulescens Thebis habitabat. Rex Thebarum, vir ignavus, Creon appellabatur. Minyae, gens bellicosissima, Thebanis finitimi erant. Legati autem a Minyis ad Thebanos quotannis mittebantur; hi Thebas veniebant et centum boves postulabant. Thebani enim olim a Minyis superati erant; tributa igitur regi Minyarum quotannis pendebant. At Hercules civis suos hoc stipendio liberare constituit; legatos igitur comprehendit, atque auris eorum abscidit. Legati autem apud omnis gentis sancti habentur.

17. THE DEFEAT OF THE MINYAE

Erginus, rex Minyarum, ob haec vehementer iratus statim cum omnibus copiis in finis Thebanorum contendit. Creon adventum eius per exploratores cognovit. Ipse tamen pugnare noluit, nam magno timore adfectus erat; Thebani igitur Herculem imperatorem creaverunt. Ille nuntios in omnis partis dimisit, et copias coegit; tum proximo die cum magno exercitu profectus est. Locum idoneum delegit et aciem instruxit. Tum Thebani e superiore loco impetum in hostis fecerunt. Illi autem impetum sustinere non potuerunt; itaque acies hostium pulsa est atque in fugam conversa.

18. MADNESS AND MURDER

Post hoc proelium Hercules copias suas ad urbem reduxit. Omnes Thebani propter victoriam maxime gaudebant; Creon autem magnis honoribus Herculem decoravit, atque filiam suam ei in matrimonium dedit. Hercules cum uxore sua beatam vitam agebat; sed post paucos annos subito in furorem incidit, atque liberos suos ipse sua manu occidit. Post breve tempus ad sanitatem reductus est, et propter hoc facinus magno dolore adfectus est; mox ex urbe effugit et in silvas se recepit. Nolebant enim cives sermonem cum eo habere.

19. HERCULES CONSULTS THE ORACLE

Hercules tantum scelus expiare magnopere cupiebat. Constituit igitur ad oraculum Delphicum ire; hoc enim oraculum erat omnium celeberrimum. Ibi templum erat Apollinis plurimis donis ornatum. Hoc in templo sedebat femina quaedam, nomine Pýthia et consilium dabat iis qui ad oraculum veniebant. Haec autem femina ab ipso Apolline docebatur, et voluntatem dei

hominibus enuntiabat. Hercules igitur, qui Apollinem praecipue colebat, huc venit. Tum rem totam exposuit, neque scelus celavit.

20. THE ORACLE'S REPLY

Ubi Hercules finem fecit, Pýthia primo tacebat; tandem tamen iussit eum ad urbem Tiryntha ire, et Eurysthei regis omnia imperata facere. Hercules ubi haec audivit, ad urbem illam contendit, et Eurystheo regi se in servitutem tradidit. Duodecim annos crudelissimo Eurystheo serviebat, et duodecim labores, quos ille imperaverat, confecit; hoc enim uno modo tantum scelus expiari potuit. De his laboribus plurima a poetis scripta sunt. Multa tamen quae poetae narrant vix credibilia sunt.

21. FIRST LABOR: THE NEMEAN LION

Primum ab Eurystheo iussus est Hercules leonem occidere qui illo tempore vallem Nemeaeam reddebat infestam. In silvas igitur in quibus leo habitabat statim se contulit. Mox feram vidit, et arcum, quem secum attulerat, intendit; eius tamen pellem, quae densissima erat, traicere non potuit. Tum clava magna quam semper gerebat leonem percussit, frustra tamen; neque enim hoc modo eum occidere potuit. Tum demum collum monstri bracchiis suis complexus est et faucis eius omnibus viribus compressit. Hoc modo leo brevi tempore exanimatus est; nulla enim respirandi facultas ei dabatur. Tum Hercules cadaver ad oppidum in umeris rettulit; et pellem, quam detraxerat, postea pro veste gerebat. Omnes autem qui eam regionem incolebant, ubi famam de morte leonis acceperunt, vehementer gaudebant et Herculem magno honore habebant.

22. SECOND LABOR: THE LERNEAN HYDRA

Paulo post iussus est ab Eurystheo Hydram necare. Hoc autem monstrum erat cui novem erant capita. Hercules igitur cum amico Iolao profectus est ad paludem Lernaeam, in qua Hydra habitabat. Mox monstrum invenit, et quamquam res erat magni periculi, collum eius sinistra prehendit. Tum dextra capita novem abscidere coepit; quotiens tamen hoc fecerat, nova capita exoriebantur. Diu frustra laborabat; tandem hoc conatu destitit. Deinde arbores succidere et ignem accendere constituit. Hoc celeriter fecit, et postquam ligna ignem comprehenderunt, face ardente colla adussit, unde capita exoriebantur. Nec tamen sine magno labore haec fecit; venit enim auxilio Hydrae cancer ingens, qui, dum Hercules capita abscidit, crura eius mordebat. Postquam monstrum tali modo interfecit, sagittas suas sanguine eius imbuit, itaque mortiferas reddidit.

23. THIRD LABOR: THE CERYNEAN STAG

Postquam Eurystheo caedes Hydrae nuntiata est, magnus timor animum eius occupavit. Iussit igitur Herculem cervum quendam ad se referre; noluit enim virum tantae audaciae in urbe retinere. Hic autem cervus, cuius cornua aurea fuisse traduntur, incredibili fuit celeritate. Hercules igitur primo vestigiis eum in silva persequebatur; deinde ubi cervum ipsum vidit, omnibus viribus currere coepit. Usque ad vesperum currebat, neque nocturnum tempus sibi ad quietem relinquebat, frustra tamen; nullo enim modo cervum consequi poterat. Tandem postquam totum annum cucurrerat (ita traditur), cervum cursu exanimatum cepit, et vivum ad Eurystheum rettulit.

24. FOURTH LABOR: THE ERYMANTHIAN BOAR

Tum vero iussus est Hercules aprum quendam capere qui illo tempore agros Erymanthios vastabat et incolas huius regionis magnopere terrebat. Hercules rem suscepit et in Arcadiam profectus est. Postquam in silvam paulum progressus est, apro occurrit. Ille autem simul atque Herculem vidit, statim refugit; et timore perterritus in altam fossam se proiecit. Hercules igitur laqueum quem attulerat iniecit, et summa cum difficultate aprum e fossa extraxit. Ille etsi fortiter repugnabat, nullo modo se liberare potuit; et ab Hercule ad Eurystheum vivus relatus est.

25. HERCULES AT THE CENTAUR'S CAVE

De quarto labore, quem supra narravimus, haec etiam traduntur. Hercules dum iter in Arcadiam facit, ad eam regionem venit quam centauri incolebant. Cum nox iam appeteret, ad speluncam devertit in qua centaurus quidam, nomine Pholus, habitabat.

Ille Herculem benigne excepit et cenam paravit. At Hercules postquam cenavit, vinum a Pholo postulavit. Erat autem in spelunca magna amphora vino optimo repleta, quam centauri ibi deposuerant. Pholus igitur hoc vinum dare nolebat, quod reliquos centauros timebat; nullum tamen vinum praeter hoc in spelunca habebat. "Hoc vinum," inquit, "mihi commissum est. Si igitur hoc dabo, centauri me interficient." Hercules tamen eum inrisit, et ipse poculum vini de amphora hausit.

26. THE FIGHT WITH THE CENTAURS

Simul atque amphora aperta est, odor iucundissimus undique diffusus est; vinum enim suavissimum erat. Centauri notum odorem senserunt et omnes ad locum convenerunt.

Ubi ad speluncam pervenerunt, magnopere irati erant quod Herculem bibentem viderunt. Tum arma rapuerunt et Pholum interficere volebant. Hercules tamen in aditu speluncae constitit et

impetum eorum fortissime sustinebat. Faces ardentis in eos coniecit; multos etiam sagittis suis vulneravit. Hae autem sagittae eaedem erant quae sanguine Hydrae olim imbutae erant. Omnes igitur quos ille sagittis vulneraverat veneno statim absumpti sunt; reliqui autem ubi hoc viderunt, terga verterunt et fuga salutem petierunt.

27. THE FATE OF PHOLUS

Postquam reliqui fugerunt, Pholus ex spelunca egressus est, et corpora spectabat eorum qui sagittis interfecti erant. Magnopere autem miratus est quod tam levi vulnere exanimati erant, et causam eius rei quaerebat. Adiit igitur locum ubi cadaver cuiusdam centauri iacebat, et sagittam e vulnere traxit. Haec tamen sive casu sive consilio deorum e manibus eius lapsa est, et pedem leviter vulneravit. Ille extemplo dolorem gravem per omnia membra sensit, et post breve tempus vi veneni exanimatus est. Mox Hercules, qui reliquos centauros secutus erat, ad speluncam rediit, et magno cum dolore Pholum mortuum vidit. Multis cum lacrimis corpus amici ad sepulturam dedit; tum, postquam alterum poculum vini exhausit, somno se dedit.

28. FIFTH LABOR: THE AUGEAN STABLES

Deinde Eurystheus Herculi hunc laborem graviorem imposuit. Augeas quidam, qui illo tempore regnum in Elide obtinebat, tria milia boum habebat. Hi in stabulo ingentis magnitudinis includebantur. Stabulum autem inluvie ac squalore erat obsitum, neque enim ad hoc tempus umquam purgatum erat. Hoc Hercules intra spatium unius diei purgare iussus est. Ille, etsi res erat multae operae, negotium suscepit. Primum magno labore fossam duodeviginti pedum duxit, per quam fluminis aquam de montibus ad murum stabuli perduxit. Tum postquam murum perrupit, aquam in stabulum immisit et tali modo contra opinionem omnium opus confecit.

29. SIXTH LABOR: THE STYMPHALIAN BIRDS

Post paucos dies Hercules ad oppidum Stymphalum iter fecit; imperaverat enim ei Eurystheus ut avis Stymphalides necaret. Hae aves rostra aenea habebant et carne hominum vescebantur. Ille postquam ad locum pervenit, lacum vidit; in hoc autem lacu, qui non procul erat ab oppido, aves habitabant. Nulla tamen dabatur appropinquandi facultas; lacus enim non ex aqua sed e limo constitit. Hercules igitur neque pedibus neque lintre progredi potuit.

Ille cum magnam partem diei frustra consumpsisset, hoc conatu destitit et ad Volcanum se contulit, ut auxilium ab eo peteret. Volcanus (qui ab fabris maxime colebatur) crepundia quae ipse ex aere fabricatus erat Herculi dedit. His Hercules tam acrem crepitum fecit ut aves perterritae avolarent. Ille autem, dum avolant, magnum numerum earum sagittis transfixit.

30. SEVENTH LABOR: THE CRETAN BULL

Tum Eurystheus Herculi imperavit ut taurum quendam ferocissimum ex insula Creta vivum referret. Ille igitur navem conscendit, et cum ventus idoneus esset, statim solvit. Cum tamen insulae iam appropinquaret, tanta tempestas subito coorta est ut navis cursum tenere non posset. Tantus autem timor animos nautarum occupavit ut paene omnem spem salutis deponerent. Hercules tamen, etsi navigandi imperitus erat, haudquaquam territus est.

Post breve tempus summa tranquillitas consecuta est, et nautae, qui se ex timore iam receperant, navem incolumem ad terram appulerunt. Hercules e navi egressus est, et cum ad regem Cretae venisset, causam veniendi docuit. Deinde, postquam omnia parata sunt, ad eam regionem contendit quam taurus vastabat. Mox taurum vidit, et quamquam res erat magni periculi, cornua eius prehendit. Tum, cum ingenti labore monstrum ad navem traxisset, cum praeda in Graeciam rediit.

31. EIGHTH LABOR: THE MAN-EATING HORSES OF DIOMEDE

Postquam ex insula Creta rediit, Hercules ab Eurystheo in Thraciam missus est, ut equos Diomedis reduceret. Hi equi carne hominum vescebantur; Diomedes autem, vir crudelissimus, illis obiciebat peregrinos omnis qui in eam regionem venerant. Hercules igitur magna celeritate in Thraciam contendit et ab Diomede postulavit ut equi sibi traderentur. Cum tamen ille hoc facere nollet, Hercules ira commotus regem interfecit et cadaver eius equis obici iussit.

Ita mira rerum commutatio facta est; is enim qui antea multos cum cruciatu necaverat ipse eodem supplicio necatus est. Cum haec nuntiata essent, omnes qui eam regionem incolebant maxima laetitia adfecti sunt et Herculi meritam gratiam referebant. Non modo maximis honoribus et praemiis eum decoraverunt sed orabant etiam ut regnum ipse susciperet. Ille tamen hoc facere nolebat, et cum ad mare rediisset, navem occupavit. Ubi omnia ad navigandum parata sunt, equos in navi conlocavit; deinde, cum idoneam tempestatem nactus esset, sine mora e portu solvit, et paulo post equos in litus Argolicum exposuit.

32. NINTH LABOR: THE GIRDLE OF HIPPOLYTE

Gens Amazonum dicitur omnino ex mulieribus constitisse. Hae summam scientiam rei militaris habebant, et tantam virtutem adhibebant ut cum viris proelium committere auderent. Hippolyte, Amazonum regina, balteum habuit celeberrimum quem Mars ei dederat. Admeta autem, Eurysthei filia, famam de hoc balteo acceperat et eum possidere vehementer cupiebat. Eurystheus igitur Herculi mandavit ut copias cogeret et bellum Amazonibus inferret. Ille nuntios in omnis partis dimisit, et cum magna multitudo convenisset, eos delegit qui maximum usum in re militari habebant.

33. THE GIRDLE IS REFUSED

His viris Hercules persuasit, postquam causam itineris exposuit, ut secum iter facerent. Tum cum iis quibus persuaserat navem conscendit, et cum ventus idoneus esset, post paucos dies ad ostium fluminis Thermodontis appulit. Postquam in finis Amazonum venit, nuntium ad Hippolytam misit, qui causam veniendi doceret et balteum posceret. Ipsa Hippolyte balteum tradere volebat, quod de Herculis virtute famam acceperat; reliquae tamen Amazones ei persuaserunt ut negaret. At Hercules, cum haec nuntiata essent, belli fortunam temptare constituit.

Proximo igitur die cum copias eduxisset, locum idoneum delegit et hostis ad pugnam evocavit. Amazones quoque copias suas ex castris eduxerunt et non magno intervallo ab Hercule aciem instruxerunt.

34. THE BATTLE

Palus erat non magna inter duo exercitus; neutri tamen initium transeundi facere volebant. Tandem Hercules signum dedit, et ubi paludem transiit, proelium commisit.

Amazones impetum virorum fortissime sustinuerunt, et contra opinionem omnium tantam virtutem praestiterunt ut multos eorum occiderint, multos etiam in fugam coniecerint. Viri enim novo genere pugnae perturbabantur nec magnam virtutem praestabant. Hercules autem cum haec videret, de suis fortunis desperare coepit. Milites igitur vehementer cohortatus est ut pristinae virtutis memoriam retinerent neu tantum dedecus admitterent, hostiumque impetum fortiter sustinerent; quibus verbis animos omnium ita erexit ut multi etiam qui vulneribus confecti essent proelium sine mora redintegrarent.

35. THE DEFEAT OF THE AMAZONS

Diu et acriter pugnatum est; tandem tamen ad solis occasum tanta commutatio rerum facta est ut mulieres terga verterent et fuga salutem peterent. Multae autem vulneribus defessae dum fugiunt captae sunt, in quo numero ipsa erat Hippolyte. Hercules summam clementiam praestitit, et postquam balteum accepit, libertatem omnibus captivis dedit. Tum vero socios ad mare reduxit, et quod non multum aestatis supererat, in Graeciam proficisci maturavit. Navem igitur conscendit, et tempestatem idoneam nactus statim solvit; antequam tamen in Graeciam pervenit, ad urbem Troiam navem appellere constituit, frumentum enim quod secum habebat iam deficere coeperat.

36. LAOMEDON AND THE SEA-MONSTER

Laomedon quidam illo tempore regnum Troiae obtinebat. Ad hunc Neptunus et Apollo anno superiore venerant, et cum Troia nondum moenia haberet, ad hoc opus auxilium obtulerant. Postquam tamen horum auxilio moenia confecta sunt, nolebat Laomedon praemium quod proposuerat persolvere.

Neptunus igitur et Apollo ob hanc causam irati monstrum quoddam miserunt specie horribili, quod cottidie e mari veniebat et homines pecudesque vorabat. Troiani autem timore perterriti in urbe continebantur, et pecora omnia ex agris intra muros compulerant. Laomedon his rebus commotus oraculum consuluit, ac deus ei praecepit ut filiam Hesionem monstro obiceret.

37. THE RESCUE OF HESIONE

Laomedon, cum hoc responsum renuntiatum esset, magnum dolorem percepit; sed tamen, ut civis suos tanto periculo liberaret, oraculo parere constituit et diem sacrificio dixit. Sed sive casu sive consilio deorum Hercules tempore opportunissimo Troiam attigit; ipso enim temporis puncto quo puella catenis vincta ad litus deducebatur ille navem appulit. Hercules e navi egressus de rebus quae gerebantur certior factus est; tum ira commotus ad regem se contulit et auxilium suum obtulit. Cum rex libenter ei concessisset ut, si posset, puellam liberaret, Hercules monstrum interfecit; et puellam, quae iam omnem spem salutis deposuerat, incolumem ad patrem reduxit. Laomedon magno cum gaudio filiam suam accepit, et Herculi pro tanto beneficio meritam gratiam rettulit.

38. TENTH LABOR: THE OXEN OF GERYON

Tum vero missus est Hercules ad insulam Erythiam, ut boves Geryonis arcesseret. Res erat summae difficultatis, quod boves a quodam Eurytione et a cane bicipite custodiebantur. Ipse autem Geryon speciem horribilem praebebat; tria enim corpora inter se coniuncta habebat. Hercules tamen etsi intellegebat quantum periculum esset, negotium suscepit; ac postquam per multas terras iter fecit, ad eam partem Libyae pervenit quae Europae proxima est. Ibi in utroque litore freti quod Europam a Libya dividit columnas constituit, quae postea Herculis Columnae appellabantur.

39. THE GOLDEN SHIP

Dum hic moratur, Hercules magnum incommodum ex calore solis accipiebat; tandem igitur ira commotus arcum suum intendit et solem sagittis petiit. Sol tamen audaciam viri tantum admiratus est ut lintrem auream ei dederit. Hercules hoc donum libentissime accepit, nullam

enim navem in his regionibus invenire potuerat. Tum lintrem deduxit, et ventum nactus idoneum post breve tempus ad insulam pervenit. Ubi ex incolis cognovit quo in loco boves essent, in eam partem statim profectus est et a rege Geryone postulavit ut boves sibi traderentur. Cum tamen ille hoc facere nollet, Hercules et regem ipsum et Eurytionem, qui erat ingenti magnitudine corporis, interfecit.

40. A MIRACULOUS HAIL-STORM

Tum Hercules boves per Hispaniam et Liguriam compellere constituit; postquam igitur omnia parata sunt, boves ex insula ad continentem transportavit. Ligures autem, gens bellicosissima, dum ille per finis eorum iter facit, magnas copias coegerunt atque eum longius progredi prohibebant. Hercules magnam difficultatem habebat, barbari enim in locis superioribus constiterant et saxa telaque in eum coniciebant. Ille quidem paene omnem spem salutis deposuerat, sed tempore opportunissimo Iuppiter imbrem lapidum ingentium e caelo demisit. Hi tanta vi ceciderunt ut magnum numerum Ligurum occiderint; ipse tamen Hercules (ut in talibus rebus accidere consuevit) nihil incommodi cepit.

41. THE PASSAGE OF THE ALPS

Postquam Ligures hoc modo superati sunt, Hercules quam celerrime progressus est et post paucos dies ad Alpis pervenit. Necesse erat has transire, ut in Italiam boves ageret; res tamen summae erat difficultatis. Hi enim montes, qui ulteriorem a citeriore Gallia dividunt, nive perenni sunt tecti; quam ob causam neque frumentum neque pabulum in his regionibus inveniri potest. Hercules igitur antequam ascendere coepit, magnam copiam frumenti et pabuli comparavit et hoc commeatu boves oneravit. Postquam in his rebus tris dies consumpserat, quarto die profectus est, et contra omnium opinionem boves incolumis in Italiam traduxit.

42. CACUS STEALS THE OXEN

Brevi tempore ad flumen Tiberim venit. Tum tamen nulla erat urbs in eo loco, Roma enim nondum condita erat. Hercules itinere fessus constituit ibi paucos dies morari, ut se ex laboribus recrearet. Haud procul a valle ubi boves pascebantur spelunca erat, in qua Cacus, horribile monstrum, tum habitabat. Hic speciem terribilem praebebat, non modo quod ingenti magnitudine corporis erat, sed quod ignem ex ore exspirabat. Cacus autem de adventu Herculis famam acceperat; noctu igitur venit, et dum Hercules dormit, quattuor pulcherrimorum boum abripuit. Hos caudis in speluncam traxit, ne Hercules e vestigiis cognoscere posset quo in loco celati essent.

43. HERCULES DISCOVERS THE THEFT

Postero die simul atque e somno excitatus est, Hercules furtum animadvertit et boves amissos omnibus locis quaerebat. Hos tamen nusquam reperire poterat, non modo quod loci naturam ignorabat, sed quod vestigiis falsis deceptus est. Tandem cum magnam partem diei frustra consumpsisset, cum reliquis bobus progredi constituit. At dum proficisci parat, unus e bobus quos secum habuit mugire coepit. Subito ii qui in spelunca inclusi erant mugitum reddiderunt, et hoc modo Herculem certiorem fecerunt quo in loco celati essent. Ille vehementer iratus ad speluncam quam celerrime se contulit, ut praedam reciperet. At Cacus saxum ingens ita deiecerat ut aditus speluncae omnino obstrueretur.

44. HERCULES AND CACUS

Hercules cum nullum alium introitum reperire posset, hoc saxum amovere conatus est, sed propter eius magnitudinem res erat difficillima. Diu frustra laborabat neque quicquam efficere poterat; tandem tamen magno conatu saxum amovit et speluncam patefecit. Ibi amissos boves magno cum gaudio conspexit; sed Cacum ipsum vix cernere potuit, quod spelunca repleta erat fumo quem ille more suo evomebat. Hercules inusitata specie turbatus breve tempus haesitabat; mox tamen in speluncam inrupit et collum monstri bracchiis complexus est. Ille etsi multum repugnavit, nullo modo se liberare potuit, et cum nulla facultas respirandi daretur, mox exanimatus est.

45. ELEVENTH LABOR: THE GOLDEN APPLES OF THE HESPERIDES

Eurystheus postquam boves Geryonis accepit, laborem undecimum Herculi imposuit, graviorem quam quos supra narravimus. Mandavit enim ei ut aurea poma ex horto Hesperidum auferret. Hesperides autem nymphae erant quaedam forma praestantissima, quae in terra longinqua habitabant, et quibus aurea quaedam poma a Iunone commissa erant. Multi homines auri cupiditate inducti haec poma auferre iam antea conati erant. Res tamen difficillima erat, namque hortus in quo poma erant muro ingenti undique circumdatus erat; praeterea draco quidam cui centum erant capita portam horti diligenter custodiebat. Opus igitur quod Eurystheus Herculi imperaverat erat summae difficultatis, non modo ob causas quas memoravimus, sed etiam quod Hercules omnino ignorabat quo in loco hortus ille situs esset.

46. HERCULES ASKS AID OF ATLAS

Hercules quamquam quietem vehementer cupiebat, tamen Eurystheo parere constituit, et simul ac iussa eius accepit, proficisci maturavit. A multis mercatoribus quaesiverat quo in loco Hesperides habitarent, nihil tamen certum reperire potuerat. Frustra per multas terras iter fecit et multa pericula subiit; tandem, cum in his itineribus totum annum consumpsisset, ad extremam partem orbis terrarum, quae proxima est Oceano, pervenit. Hic stabat vir quidam, nomine Atlas, ingenti magnitudine corporis, qui caelum (ita traditum est) umeris suis sustinebat,

ne in terram decideret. Hercules tantas viris magnopere miratus statim in conloquium cum Atlante venit, et cum causam itineris docuisset, auxilium ab eo petiit.

47. HERCULES BEARS UP THE HEAVENS

Atlas autem Herculi maxime prodesse potuit; ille enim cum ipse esset pater Hesperidum, certo scivit quo in loco esset hortus. Postquam igitur audivit quam ob causam Hercules venisset, "Ipse," inquit, "ad hortum ibo et filiabus meis persuadebo ut poma sua sponte tradant." Hercules cum haec audiret, magnopere gavisus est; vim enim adhibere noluit, si res aliter fieri posset. Constituit igitur oblatum auxilium accipere. Atlas tamen postulavit ut, dum ipse abesset, Hercules caelum umeris sustineret. Hoc autem negotium Hercules libenter suscepit, et quamquam res erat summi laboris, totum pondus caeli continuos compluris dies solus sustinebat.

48. THE RETURN OF ATLAS

Atlas interea abierat et ad hortum Hesperidum, qui pauca milia passuum aberat, se quam celerrime contulerat. Eo cum venisset, causam veniendi exposuit et filias suas vehementer hortatus est ut poma traderent. Illae diu haerebant; nolebant enim hoc facere, quod ab ipsa Iunone (ita ut ante dictum est) hoc munus accepissent. Atlas tamen aliquando iis persuasit ut sibi parerent, et poma ad Herculem rettulit. Hercules interea cum pluris dies exspectavisset neque ullam famam de reditu Atlantis accepisset, hac mora graviter commotus est. Tandem quinto die Atlantem vidit redeuntem, et mox magno cum gaudio poma accepit; tum, postquam gratias pro tanto beneficio egit, ad Graeciam proficisci maturavit.

49. TWELFTH LABOR: CERBERUS THE THREE-HEADED DOG

Postquam aurea poma ad Eurystheum relata sunt, unus modo relinquebatur e duodecim laboribus quos Pýthia Herculi praeceperat. Eurystheus autem cum Herculem magnopere timeret, eum in aliquem locum mittere volebat unde numquam redire posset. Negotium igitur ei dedit ut canem Cerberum ex Orco in lucem traheret. Hoc opus omnium difficillimum erat, nemo enim umquam ex Orco redierat. Praeterea Cerberus iste monstrum erat horribili specie, cui tria erant capita serpentibus saevis cincta. Antequam tamen de hoc labore narramus, non alienum videtur, quoniam de Orco mentionem fecimus, pauca de ea regione proponere.

50. CHARON'S FERRY

De Orco, qui idem Hades appellabatur, haec traduntur. Ut quisque de vita decesserat, manes eius ad Orcum, sedem mortuorum, a deo Mercurio deducebantur. Huius regionis, quae sub terra

fuisse dicitur, rex erat Pluto, cui uxor erat Proserpina, Iovis et Cereris filia. Manes igitur a Mercurio deducti primum ad ripam veniebant Stygis fluminis, quo regnum Plutonis continetur. Hoc transire necesse erat antequam in Orcum venire possent. Cum tamen in hoc flumine nullus pons factus esset, manes transvehebantur a Charonte quodam, qui cum parva scapha ad ripam exspectabat. Charon pro hoc officio mercedem postulabat, neque quemquam, nisi hoc praemium prius dedisset, transvehere volebat. Quam ob causam mos erat apud antiquos nummum in ore mortui ponere eo consilio, ut cum ad Stygem venisset, pretium traiectus solvere posset. Ii autem qui post mortem in terra non sepulti erant Stygem transire non potuerunt, sed in ripa per centum annos errare coacti sunt; tum demum Orcum intrare licuit.

51. THE REALM OF PLUTO

Ut autem manes Stygem hoc modo transierant, ad alterum veniebant flumen, quod Lethe appellabatur. Ex hoc flumine aquam bibere cogebantur; quod cum fecissent, res omnis in vita gestas e memoria deponebant. Denique ad sedem ipsius Plutonis veniebant, cuius introitus a cane Cerbero custodiebatur. Ibi Pluto nigro vestitu indutus cum uxore Proserpina in solio sedebat. Stabant etiam non procul ab eo loco tria alia solia, in quibus sedebant Minos, Rhadamanthus, Aeacusque, iudices apud inferos. Hi mortuis ius dicebant et praemia poenasque constituebant. Boni enim in Campos Elysios, sedem beatorum, veniebant; improbi autem in Tartarum mittebantur ac multis et variis suppliciis ibi excruciabantur.

52. HERCULES CROSSES THE STYX

Hercules postquam imperia Eurysthei accepit, in Laconiam ad Taenarum statim se contulit; ibi enim spelunca erat ingenti magnitudine, per quam, ut tradebatur, homines ad Orcum descendebant. Eo cum venisset, ex incolis quaesivit quo in loco spelunca illa sita esset; quod cum cognovisset, sine mora descendere constituit. Nec tamen solus hoc iter faciebat, Mercurius enim et Minerva se ei socios adiunxerant. Ubi ad ripam Stygis venit, Hercules scapham Charontis conscendit, ut ad ulteriorem ripam transiret. Cum tamen Hercules vir esset ingenti magnitudine corporis, Charon solvere nolebat; magnopere enim verebatur ne scapha sua tanto pondere onerata in medio flumine mergeretur. Tandem tamen minis Herculis territus Charon scapham solvit, et eum incolumem ad ulteriorem ripam perduxit.

53. THE LAST LABOR IS ACCOMPLISHED

Postquam flumen Stygem hoc modo transiit, Hercules in sedem ipsius Plutonis venit; et postquam causam veniendi docuit, ab eo petivit ut Cerberum auferre sibi liceret. Pluto, qui de Hercule famam acceperat, eum benigne excepit, et facultatem quam ille petebat libenter dedit. Postulavit tamen ut Hercules ipse, cum imperata Eurysthei fecisset, Cerberum in Orcum rursus reduceret. Hercules hoc pollicitus est, et Cerberum, quem non sine magno periculo manibus prehenderat, summo cum labore ex Orco in lucem et ad urbem Eurysthei traxit. Eo cum venisset,

tantus timor animum Eurysthei occupavit ut ex atrio statim refugerit; cum autem paulum se ex timore recepisset, multis cum lacrimis obsecravit Herculem ut monstrum sine mora in Orcum reduceret. Sic contra omnium opinionem duodecim illi labores quos Pýthia praeceperat intra duodecim annos confecti sunt; quae cum ita essent, Hercules servitute tandem liberatus magno cum gaudio Thebas rediit.

54. THE CENTAUR NESSUS

Postea Hercules multa alia praeclara perfecit, quae nunc perscribere longum est. Tandem iam aetate provectus Deianiram, Oenei filiam, in matrimonium duxit; post tamen tres annos accidit ut puerum quendam, cui nomen erat Eunomus, casu occiderit. Cum autem mos esset ut si quis hominem casu occidisset, in exsilium iret, Hercules cum uxore sua e finibus eius civitatis exire maturavit. Dum tamen iter faciunt, ad flumen quoddam pervenerunt in quo nullus pons erat; et dum quaerunt quonam modo flumen transeant, accurrit centaurus Nessus, qui viatoribus auxilium obtulit. Hercules igitur uxorem suam in tergum Nessi imposuit; tum ipse flumen tranavit. Nessus autem paulum in aquam progressus ad ripam subito revertebatur et Deianiram auferre conabatur. Quod cum animadvertisset Hercules, ira graviter commotus arcum intendit et pectus Nessi sagitta transfixit.

55. THE POISONED ROBE

Nessus igitur sagitta Herculis transfixus moriens humi iacebat; at ne occasionem sui ulciscendi dimitteret, ita locutus est: "Tu, Deianira, verba morientis audi. Si amorem mariti tui conservare vis, hunc sanguinem qui nunc e pectore meo effunditur sume ac repone; tum, si umquam in suspicionem tibi venerit, vestem mariti hoc sanguine inficies." Haec locutus Nessus animam efflavit; Deianira autem nihil mali suspicata imperata fecit. Paulo post Hercules bellum contra Eurytum, regem Oechaliae, suscepit; et cum regem ipsum cum filiis interfecisset, Iolen eius filiam captivam secum reduxit. Antequam tamen domum venit, navem ad Cenaeum promunturium appulit, et in terram egressus aram constituit, ut Iovi sacrificaret. Dum tamen sacrificium parat, Licham comitem suum domum misit, qui vestem albam referret; mos enim erat apud antiquos, dum sacrificia facerent, albam vestem gerere. At Deianira verita ne Hercules amorem erga Iolen haberet, vestem priusquam Lichae dedit, sanguine Nessi infecit.

56. THE DEATH OF HERCULES

Hercules nihil mali suspicans vestem quam Lichas attulerat statim induit; paulo post tamen dolorem per omnia membra sensit, et quae causa esset eius rei magnopere mirabatur. Dolore paene exanimatus vestem detrahere conatus est; illa tamen in corpore haesit, neque ullo modo abscindi potuit. Tum demum Hercules quasi furore impulsus in montem Octam se contulit, et in rogum, quem summa celeritate exstruxit, se imposuit. Hoc cum fecisset, eos qui circumstabant oravit ut rogum quam celerrime succenderent. Omnes diu recusabant; tandem tamen pastor

quidam ad misericordiam inductus ignem subdidit. Tum, dum omnia fumo obscurantur, Hercules densa nube velatus a Iove in Olympum abreptus est.

THE ARGONAUTS

The celebrated voyage of the Argonauts was brought about in this way. Pelias had expelled his brother Aeson from his kingdom in Thessaly, and had determined to take the life of Jason, the son of Aeson. Jason, however, escaped and grew up to manhood in another country. At last he returned to Thessaly; and Pelias, fearing that he might attempt to recover the kingdom, sent him to fetch the Golden Fleece from Colchis, supposing this to be an impossible feat. Jason with a band of heroes set sail in the ship Argo (called after Argus, its builder), and after many adventures reached Colchis. Here Aeetes, king of Colchis, who was unwilling to give up the Fleece, set Jason to perform what seemed an impossible task, namely to plough a field with certain fire-breathing oxen, and then to sow it with dragon's teeth. Medea, however, the daughter of the king, assisted Jason by her skill in magic, first to perform the task appointed, and then to procure the Fleece. She then fled with Jason, and to delay the pursuit of her father, sacrificed her brother Absyrtus. After reaching Thessaly, Medea caused the death of Pelias and was expelled from the country with her husband. They removed to Corinth, and here Medea becoming jealous of Glauce, daughter of Creon, caused her death by means of a poisoned robe. She was afterward carried off in a chariot sent by the sun-god, and a little later Jason was accidentally killed.

57. THE WICKED UNCLE

Erant olim in Thessalia duo fratres, quorum alter Aeson, Pelias alter appellabatur. Aeson primo regnum obtinuerat; at post paucos annos Pelias regni cupiditate adductus non modo fratrem suum expulit, sed etiam in animo habebat Iasonem, Aesonis filium, interficere. Quidam tamen ex amicis Aesonis, ubi sententiam Peliae cognoverunt, puerum e tanto periculo eripere constituerunt. Noctu igitur Iasonem ex urbe abstulerunt, et cum postero die ad regem rediissent, ei renuntiaverunt puerum mortuum esse. Pelias cum hoc audivisset, etsi re vera magnum gaudium percipiebat, speciem tamen doloris praebuit et quae causa esset mortis quaesivit. Illi autem cum bene intellegerent dolorem eius falsum esse, nescio quam fabulam de morte pueri finxerunt.

58. A FATEFUL ACCIDENT

Post breve tempus Pelias, veritus ne regnum suum tanta vi et fraude occupatum amitteret, amicum quendam Delphos misit, qui oraculum consuleret. Ille igitur quam celerrime Delphos se contulit et quam ob causam venisset demonstravit. Respondit oraculum nullum esse in praesentia periculum; monuit tamen Peliam ut si quis unum calceum gerens veniret, eum caveret. Post paucis annis accidit ut Pelias magnum sacrificium facturus esset; nuntios in omnis partis dimiserat et certam diem conveniendi dixerat. Die constituta magnus hominum numerus

undique ex agris convenit; in his autem venit etiam Iason, qui a pueritia apud centaurum quendam habitaverat. Dum tamen iter facit, unum e calceis in transeundo nescio quo flumine amisit.

59. THE GOLDEN FLEECE

Iason igitur cum calceum amissum nullo modo recipere posset, uno pede nudo in regiam pervenit. Quem cum Pelias vidisset, subito timore adfectus est; intellexit enim hunc esse hominem quem oraculum demonstravisset. Hoc igitur consilium iniit. Rex erat quidam Aeetes, qui regnum Colchidis illo tempore obtinebat. Huic commissum erat vellus illud aureum quod Phrixus olim ibi reliquerat. Constituit igitur Pelias Iasoni negotium dare ut hoc vellere potiretur; cum enim res esset magni periculi, eum in itinere periturum esse sperabat. Iasonem igitur ad se arcessivit, et eum cohortatus quid fieri vellet docuit. Ille etsi intellegebat rem esse difficillimam, negotium libenter suscepit.

60. THE BUILDING OF THE GOOD SHIP ARGO

Cum tamen Colchis multorum dierum iter ab eo loco abesset, solus Iason proficisci noluit. Dimisit igitur nuntios in omnis partis, qui causam itineris docerent et diem certam conveniendi dicerent. Interea, postquam omnia quae sunt usui ad armandas navis comportari iussit, negotium dedit Argo cuidam, qui summam scientiam nauticarum rerum habebat, ut navem aedificaret. In his rebus circiter decem dies consumpti sunt; Argus enim, qui operi praeerat, tantam diligentiam adhibebat ut ne nocturnum quidem tempus ad laborem intermitteret. Ad multitudinem hominum transportandam navis paulo erat latior quam quibus in nostro mari uti consuevimus, et ad vim tempestatum perferendam tota e robore facta est.

61. THE ANCHOR IS WEIGHED

Interea is dies appetebat quem Iason per nuntios edixerat, et ex omnibus regionibus Graeciae multi, quos aut rei novitas aut spes gloriae movebat, undique conveniebant. Traditum est autem in hoc numero fuisse Herculem, de quo supra multa perscripsimus, Orpheum, citharoedum praeclarissimum, Theseum, Castorem, multosque alios quorum nomina sunt notissima. Ex his Iason quos arbitratus est ad omnia pericula subeunda paratissimos esse, eos ad numerum quinquaginta delegit et socios sibi adiunxit; tum paucos dies commoratus, ut ad omnis casus subsidia compararet, navem deduxit, et tempestatem ad navigandum idoneam nactus magno cum plausu omnium solvit.

62. A FATAL MISTAKE

Haud multo post Argonautae (ita enim appellabantur qui in ista navi vehebantur) insulam quandam, nomine Cyzicum, attigerunt; et e navi egressi a rege illius regionis hospitio excepti sunt. Paucas horas ibi commorati ad solis occasum rursus solverunt; sed postquam pauca milia passuum progressi sunt, tanta tempestas subito coorta est ut cursum tenere non possent, et in eandem partem insulae unde nuper profecti erant magno cum periculo deicerentur. Incolae tamen, cum nox esset obscura, Argonautas non agnoscebant, et navem inimicam venisse arbitrati arma rapuerunt et eos egredi prohibebant. Acriter in litore pugnatum est, et rex ipse, qui cum aliis decucurrerat, ab Argonautis occisus est. Mox tamen, cum iam dilucesceret, senserunt incolae se errare et arma abiecerunt; Argonautae autem cum regem occisum esse viderent, magnum dolorem perceperunt.

63. THE LOSS OF HYLAS

Postridie eius diei Iason tempestatem satis idoneam esse arbitratus (summa enim tranquillitas iam consecuta erat), ancoras sustulit, et pauca milia passuum progressus ante noctem Mýsiam attigit. Ibi paucas horas in ancoris exspectavit; a nautis enim cognoverat aquae copiam quam secum haberent iam deficere, quam ob causam quidam ex Argonautis in terram egressi aquam quaerebant. Horum in numero erat Hylas quidam, puer forma praestantissima. Qui dum fontem quaerit, a comitibus paulum secesserat. Nymphae autem quae fontem colebant, cum iuvenem vidissent, ei persuadere conatae sunt ut secum maneret; et cum ille negaret se hoc facturum esse, puerum vi abstulerunt.

Comites eius postquam Hylam amissum esse senserunt, magno dolore adfecti diu frustra quaerebant. Hercules autem et Polyphemus, qui vestigia pueri longius secuti erant, ubi tandem ad litus redierunt, Iasonem solvisse cognoverunt.

64. DIFFICULT DINING

Post haec Argonautae ad Thraciam cursum tenuerunt, et postquam ad oppidum Salmydessum navem appulerunt, in terram egressi sunt. Ibi cum ab incolis quaesissent quis regnum eius regionis obtineret, certiores facti sunt Phineum quendam tum regem esse. Cognoverunt etiam hunc caecum esse et diro quodam supplicio adfici, quod olim se crudelissimum in filios suos praebuisset. Cuius supplici hoc erat genus. Missa erant a Iove monstra quaedam specie horribili, quae capita virginum, corpora volucrum habebant. Hae volucres, quae Harpýiae appellabantur, Phineo summam molestiam adferebant; quotiens enim ille accubuerat, veniebant et cibum appositum statim auferebant. Quo factum est ut haud multum abesset quin Phineus fame moreretur.

65. THE DELIVERANCE OF PHINEUS

Res igitur male se habebat cum Argonautae navem appulerunt. Phineus autem simul atque audivit eos in suos finis egressos esse, magnopere gavisus est. Sciebat enim quantam opinionem virtutis Argonautae haberent, nec dubitabat quin sibi auxilium ferrent. Nuntium igitur ad navem misit, qui Iasonem sociosque ad regiam vocaret. Eo cum venissent, Phineus demonstravit quanto in periculo suae res essent, et promisit se magna praemia daturum esse, si illi remedium repperissent. Argonautae negotium libenter susceperunt, et ubi hora venit, cum rege accubuerunt; at simul ac cena apposita est, Harpýiae cenaculum intraverunt et cibum auferre conabantur. Argonautae primum gladiis volucres petierunt; cum tamen viderent hoc nihil prodesse, Zetes et Calais, qui alis erant instructi, in aera se sublevaverunt, ut desuper impetum facerent. Quod cum sensissent Harpýiae, rei novitate perterritae statim aufugerunt, neque postea umquam redierunt.

66. THE SYMPLEGADES

Hoc facto Phineus, ut pro tanto beneficio meritam gratiam referret, Iasoni demonstravit qua ratione Symplegades vitare posset. Symplegades autem duae erant rupes ingenti magnitudine, quae a Iove positae erant eo consilio, ne quis ad Colchida perveniret. Hae parvo intervallo in mari natabant, et si quid in medium spatium venerat, incredibili celeritate concurrebant. Postquam igitur a Phineo doctus est quid faciendum esset, Iason sublatis ancoris navem solvit, et leni vento provectus mox ad Symplegades appropinquavit. Tum in prora stans columbam quam in manu tenebat emisit. Illa recta via per medium spatium volavit, et priusquam rupes conflixerunt, incolumis evasit cauda tantum amissa. Tum rupes utrimque discesserunt; antequam tamen rursus concurrerent, Argonautae, bene intellegentes omnem spem salutis in celeritate positam esse, summa vi remis contenderunt et navem incolumem perduxerunt. Hoc facto dis gratias maximas egerunt, quorum auxilio e tanto periculo erepti essent; omnes enim sciebant non sine auxilio deorum rem tam feliciter evenisse.

67. A HEAVY TASK

Brevi intermisso spatio Argonautae ad flumen Phasim venerunt, quod in finibus Colchorum erat. Ibi cum navem appulissent et in terram egressi essent, statim ad regem Aeetem se contulerunt et ab eo postulaverunt ut vellus aureum sibi traderetur. Ille cum audivisset quam ob causam Argonautae venissent, ira commotus est et diu negabat se vellus traditurum esse. Tandem tamen, quod sciebat Iasonem non sine auxilio deorum hoc negotium suscepisse, mutata sententia promisit se vellus traditurum, si Iason labores duos difficillimos prius perfecisset; et cum Iason dixisset se ad omnia pericula subeunda paratum esse, quid fieri vellet ostendit. Primum iungendi erant duo tauri specie horribili, qui flammas ex ore edebant; tum his iunctis ager quidam arandus erat et dentes draconis serendi. His auditis Iason etsi rem esse summi periculi intellegebat, tamen, ne hanc occasionem rei bene gerendae amitteret, negotium suscepit.

68. THE MAGIC OINTMENT

Medea, regis filia, Iasonem adamavit, et ubi audivit eum tantum periculum subiturum esse, rem aegre ferebat. Intellegebat enim patrem suum hunc laborem proposuisse eo ipso consilio, ut Iason moreretur. Quae cum ita essent, Medea, quae summam scientiam medicinae habebat, hoc consilium iniit. Media nocte insciente patre ex urbe evasit, et postquam in montis finitimos venit, herbas quasdam carpsit; tum suco expresso unguentum paravit quod vi sua corpus aleret nervosque confirmaret. Hoc facto Iasoni unguentum dedit; praecepit autem ut eo die quo isti labores conficiendi essent corpus suum et arma mane oblineret. Iason etsi paene omnibus hominibus magnitudine et viribus corporis antecellebat (vita enim omnis in venationibus atque in studio rei militaris consumebatur), tamen hoc consilium non neglegendum esse censebat.

69. THE SOWING OF THE DRAGON'S TEETH

Ubi is dies venit quem rex ad arandum agrum edixerat, Iason orta luce cum sociis ad locum constitutum se contulit. Ibi stabulum ingens repperit, in quo tauri erant inclusi; tum portis apertis tauros in lucem traxit, et summa cum difficultate iugum imposuit. At Aeetes cum videret tauros nihil contra Iasonem valere, magnopere miratus est; nesciebat enim filiam suam auxilium ei dedisse. Tum Iason omnibus aspicientibus agrum arare coepit, qua in re tantam diligentiam praebuit ut ante meridiem totum opus confecerit. Hoc facto ad locum ubi rex sedebat adiit et dentis draconis postulavit; quos ubi accepit, in agrum quem araverat magna cum diligentia sparsit. Horum autem dentium natura erat talis ut in eo loco ubi sementes factae essent viri armati miro quodam modo gignerentur.

70. A STRANGE CROP

Nondum tamen Iason totum opus confecerat; imperaverat enim ei Aeetes ut armatos viros qui e dentibus gignerentur solus interficeret. Postquam igitur omnis dentis in agrum sparsit, Iason lassitudine exanimatus quieti se tradidit, dum viri isti gignerentur. Paucas horas dormiebat, sub vesperum tamen e somno subito excitatus rem ita evenisse ut praedictum esset cognovit; nam in omnibus agri partibus viri ingenti magnitudine corporis gladiis galeisque armati mirum in modum e terra oriebantur. Hoc cognito Iason consilium quod dedisset Medea non omittendum esse putabat. Saxum igitur ingens (ita enim Medea praeceperat) in medios viros coniecit. Illi undique ad locum concurrerunt, et cum quisque sibi id saxum nescio cur habere vellet, magna controversia orta est. Mox strictis gladiis inter se pugnare coeperunt, et cum hoc modo plurimi occisi essent, reliqui vulneribus confecti a Iasone nullo negotio interfecti sunt.

71. THE FLIGHT OF MEDEA

Rex Aeetes ubi Iasonem laborem propositum confecisse cognovit, ira graviter commotus est; id enim per dolum factum esse intellegebat; nec dubitabat quin Medea ei auxilium tulisset. Medea autem cum intellegeret se in magno fore periculo si in regia maneret, fuga salutem petere

constituit. Omnibus rebus igitur ad fugam paratis media nocte insciente patre cum fratre Absyrto evasit, et quam celerrime ad locum ubi Argo subducta erat se contulit. Eo cum venisset, ad pedes Iasonis se proiecit, et multis cum lacrimis eum obsecravit ne in tanto discrimine mulierem desereret quae ei tantum profuisset. Ille quod memoria tenebat se per eius auxilium e magno periculo evasisse, libenter eam excepit, et postquam causam veniendi audivit, hortatus est ne patris iram timeret. Promisit autem se quam primum eam in navi sua avecturum.

72. THE SEIZURE OF THE FLEECE

Postridie eius diei Iason cum sociis suis orta luce navem deduxit, et tempestatem idoneam nacti ad eum locum remis contenderunt, quo in loco Medea vellus celatum esse demonstrabat. Cum eo venissent, Iason in terram egressus est, et sociis ad mare relictis, qui praesidio navi essent, ipse cum Medea in silvas se contulit. Pauca milia passuum per silvam progressus vellus quod quaerebat ex arbore suspensum vidit. Id tamen auferre erat summae difficultatis; non modo enim locus ipse egregie et natura et arte erat munitus, sed etiam draco quidam specie terribili arborem custodiebat. Tum Medea, quae, ut supra demonstravimus, medicinae summam scientiam habuit, ramum quem de arbore proxima deripuerat veneno infecit. Hoc facto ad locum appropinquavit, et draconem, qui faucibus apertis eius adventum exspectabat, veneno sparsit; deinde, dum draco somno oppressus dormit, Iason vellus aureum de arbore deripuit et cum Medea quam celerrime pedem rettulit.

73. THE RETURN TO THE ARGO

Dum autem ea geruntur, Argonautae, qui ad mare relicti erant, anxio animo reditum Iasonis exspectabant; id enim negotium summi esse periculi intellegebant. Postquam igitur ad occasum solis frustra exspectaverunt, de eius salute desperare coeperunt, nec dubitabant quin aliqui casus accidisset. Quae cum ita essent, maturandum sibi censuerunt, ut duci auxilium ferrent; sed dum proficisci parant, lumen quoddam subito conspiciunt mirum in modum intra silvas refulgens, et magnopere mirati quae causa esset eius rei ad locum concurrunt. Quo cum venissent, Iasoni et Medeae advenientibus occurrerunt, et vellus aureum luminis eius causam esse cognoverunt. Omni timore sublato magno cum gaudio ducem suum exceperunt, et dis gratias maximas egerunt quod res tam feliciter evenisset.

74. THE PURSUIT

His rebus gestis omnes sine mora navem rursus conscenderunt, et sublatis ancoris prima vigilia solverunt; neque enim satis tutum esse arbitrati sunt in eo loco manere. At rex Aeetes, qui iam ante inimico in eos fuerat animo, ubi cognovit filiam suam non modo ad Argonautas se recepisse sed etiam ad vellus auferendum auxilium tulisse, hoc dolore gravius exarsit. Navem longam quam celerrime deduci iussit, et militibus impositis fugientis insecutus est. Argonautae, qui rem in discrimine esse bene sciebant, omnibus viribus remis contendebant; cum tamen navis qua

vehebantur ingenti esset magnitudine, non eadem celeritate qua Colchi progredi poterant. Quo factum est ut minimum abesset quin a Colchis sequentibus caperentur, neque enim longius intererat quam quo telum adici posset. At Medea cum vidisset quo in loco res essent, paene omni spe deposita infandum hoc consilium cepit.

75. A FEARFUL EXPEDIENT

Erat in navi Argonautarum filius quidam regis Aeetae, nomine Absyrtus, quem, ut supra demonstravimus, Medea ex urbe fugiens secum abduxerat. Hunc puerum Medea interficere constituit eo consilio, ut membris eius in mare coniectis cursum Colchorum impediret; certo enim sciebat Aeetem, cum membra fili vidisset, non longius prosecuturum esse. Neque opinio Medeam fefellit, omnia enim ita evenerunt ut speraverat. Aeetes ubi primum membra vidit, ad ea conligenda navem teneri iussit. Dum tamen ea geruntur, Argonautae non intermisso remigandi labore mox e conspectu hostium auferebantur, neque prius fugere destiterunt quam ad flumen Eridanum pervenerunt. Aeetes nihil sibi profuturum esse arbitratus si longius progressus esset, animo demisso domum revertit, ut fili corpus ad sepulturam daret.

76. THE BARGAIN WITH PELIAS

Tandem post multa pericula Iason in eundem locum pervenit unde profectus erat. Tum e navi egressus ad regem Peliam, qui regnum adhuc obtinebat, statim se contulit, et vellere aureo monstrato ab eo postulavit ut regnum sibi traderetur; Pelias enim pollicitus erat, si Iason vellus rettulisset, se regnum ei traditurum. Postquam Iason quid fieri vellet ostendit, Pelias primo nihil respondit, sed diu in eadem tristitia tacitus permansit; tandem ita locutus est: "Vides me aetate iam esse confectum, neque dubium est quin dies supremus mihi appropinquet. Liceat igitur mihi, dum vivam, hoc regnum obtinere; cum autem tandem decessero, tu mihi succedes." Hac oratione adductus Iason respondit se id facturum quod ille rogasset.

77. MAGIC ARTS

His rebus cognitis Medea rem aegre tulit, et regni cupiditate adducta mortem regi per dolum inferre constituit. Hoc constituto ad filias regis venit atque ita locuta est: "Videtis patrem vestrum aetate iam esse confectum neque ad laborem regnandi perferendum satis valere. Vultisne eum rursus iuvenem fieri?" Tum filiae regis ita responderunt: "Num hoc fieri potest? Quis enim umquam e sene iuvenis factus est?" At Medea respondit: "Me medicinae summam habere scientiam scitis. Nunc igitur vobis demonstrabo quo modo haec res fieri possit." Postquam finem loquendi fecit, arietem aetate iam confectum interfecit et membra eius in vase aeneo posuit, atque igni supposito in aquam herbas quasdam infudit. Tum, dum aqua effervesceret, carmen magicum cantabat. Mox aries e vase exsiluit et viribus refectis per agros currebat.

78. A DANGEROUS EXPERIMENT

Dum filiae regis hoc miraculum stupentes intuentur, Medea ita locuta est: "Videtis quantum valeat medicina. Vos igitur, si vultis patrem vestrum in adulescentiam reducere, id quod feci ipsae facietis. Vos patris membra in vas conicite; ego herbas magicas praebebo." Quod ubi auditum est, filiae regis consilium quod dedisset Medea non omittendum putaverunt. Patrem igitur Peliam necaverunt et membra eius in vas aeneum coniecerunt; nihil autem dubitabant quin hoc maxime ei profuturum esset. At res omnino aliter evenit ac speraverant, Medea enim non easdem herbas dedit quibus ipsa usa erat. Itaque postquam diu frustra exspectaverunt, patrem suum re vera mortuum esse intellexerunt. His rebus gestis Medea se cum coniuge suo regnum accepturam esse sperabat; sed cives cum intellegerent quo modo Pelias periisset, tantum scelus aegre tulerunt. Itaque Iasone et Medea e regno expulsis Acastum regem creaverunt.

79. A FATAL GIFT

Iason et Medea e Thessalia expulsi ad urbem Corinthum venerunt, cuius urbis Creon quidam regnum tum obtinebat. Erat autem Creonti filia una, nomine Glauce. Quam cum vidisset, Iason constituit Medeae uxori suae nuntium mittere eo consilio, ut Glaucen in matrimonium duceret. At Medea ubi intellexit quae ille in animo haberet, ira graviter commota iure iurando confirmavit se tantam iniuriam ulturam. Hoc igitur consilium cepit. Vestem paravit summa arte textam et variis coloribus infectam; hanc mortifero quodam veneno tinxit, cuius vis talis erat ut si quis eam vestem induisset, corpus eius quasi igni ureretur. Hoc facto vestem ad Glaucen misit; illa autem nihil mali suspicans donum libenter accepit, et vestem novam more feminarum statim induit.

80. MEDEA KILLS HER SONS

Vix vestem induerat Glauce cum dolorem gravem per omnia membra sensit, et paulo post crudeli cruciatu adfecta e vita excessit. His rebus gestis Medea furore atque amentia impulsa filios suos necavit; tum magnum sibi fore periculum arbitrata si in Thessalia maneret, ex ea regione fugere constituit. Hoc constituto solem oravit ut in tanto periculo auxilium sibi praeberet. Sol autem his precibus commotus currum misit cui erant iuncti dracones alis instructi. Medea non omittendam tantam occasionem arbitrata currum ascendit, itaque per aera vecta incolumis ad urbem Athenas pervenit. Iason ipse brevi tempore miro modo occisus est. Accidit sive casu sive consilio deorum ut sub umbra navis suae, quae in litus subducta erat, dormiret. Mox navis, quae adhuc erecta steterat, in eam partem ubi Iason iacebat subito delapsa virum infelicem oppressit.

ULYSSES

Ulysses, a famous Greek hero, took a prominent part in the long siege of Troy. After the fall of the city, he set out with his followers on his homeward voyage to Ithaca, an island of which he was king; but being driven out of his course by northerly winds, he was compelled to touch at the country of the Lotus-eaters, who are supposed to have lived on the north coast of Africa. Some of his comrades were so delighted with the lotus fruit that they wished to remain in the country, but Ulysses compelled them to embark again and continued his voyage. He next came to the island of Sicily, and fell into the hands of the giant Polyphemus, one of the Cyclopes. After several of his comrades had been killed by this monster, Ulysses made his escape by stratagem and reached the country of the winds. Here he received the help of Aeolus, king of the winds, and having set sail again, arrived within sight of Ithaca; but owing to the folly of his companions, the winds became suddenly adverse and he was again driven back. He then touched at an island which was the home of Circe, a powerful enchantress, who exercised her charms on his companions and turned them into swine. By the help of the god Mercury, Ulysses not only escaped this fate himself, but also forced Circe to restore her victims to human shape. After staying a year with Circe, he again set out and eventually reached his home.

81. HOMEWARD BOUND

Urbem Troiam a Graecis decem annos obsessam esse satis constat; de hoc enim bello Homerus, maximus poetarum Graecorum, Iliadem opus notissimum scripsit. Troia tandem per insidias capta, Graeci longo bello fessi domum redire maturaverunt. Omnibus rebus igitur ad profectionem paratis navis deduxerunt, et tempestatem idoneam nacti magno cum gaudio solverunt. Erat inter primos Graecorum Ulixes quidam, vir summae virtutis ac prudentiae, quem dicunt nonnulli dolum istum excogitasse quo Troiam captam esse constat. Hic regnum insulae Ithacae obtinuerat, et paulo antequam cum reliquis Graecis ad bellum profectus est, puellam formosissimam, nomine Penelopen, in matrimonium duxerat. Nunc igitur cum iam decem annos quasi in exsilio consumpsisset, magna cupiditate patriae et uxoris videndae ardebat.

82. THE LOTUS-EATERS

Postquam tamen pauca milia passuum a litore Troiae progressi sunt, tanta tempestas subito coorta est ut nulla navium cursum tenere posset, sed aliae alias in partis disicerentur. Navis autem qua ipse Ulixes vehebatur vi tempestatis ad meridiem delata decimo die ad litus Libyae appulsa est. Ancoris iactis Ulixes constituit nonnullos e sociis in terram exponere, qui aquam ad navem referrent et qualis esset natura eius regionis cognoscerent. Hi igitur e navi egressi imperata facere parabant. Dum tamen fontem quaerunt, quibusdam ex incolis obviam facti ab iis hospitio accepti sunt. Accidit autem ut maior pars victus eorum hominum in miro quodam fructu quem lotum appellabant consisteret. Quam cum Graeci gustassent, patriae et sociorum statim obliti confirmaverunt se semper in ea terra mansuros, ut dulci illo cibo in perpetuum vescerentur.

83. THE RESCUE

Ulixes cum ab hora septima ad vesperum exspectasset, veritus ne socii sui in periculo versarentur, nonnullos e reliquis misit, ut quae causa esset morae cognoscerent. Hi igitur in terram expositi ad vicum qui non longe aberat se contulerunt; quo cum venissent, socios suos quasi vino ebrios reppererunt. Tum ubi causam veniendi docuerunt, iis persuadere conabantur ut secum ad navem redirent. Illi tamen resistere ac manu se defendere coeperunt, saepe clamitantes se numquam ex eo loco abituros. Quae cum ita essent, nuntii re infecta ad Ulixem redierunt. His rebus cognitis ipse cum omnibus qui in navi relicti erant ad locum venit; et socios suos frustra hortatus ut sua sponte redirent, manibus eorum post terga vinctis invitos ad navem reportavit. Tum ancoris sublatis quam celerrime e portu solvit.

84. THE ONE-EYED GIANT

Postquam ea tota nocte remis contenderunt, postridie ad terram ignotam navem appulerunt. Tum, quod naturam eius regionis ignorabat, ipse Ulixes cum duodecim e sociis in terram egressus loca explorare constituit. Paulum a litore progressi ad speluncam ingentem pervenerunt, quam habitari senserunt; eius enim introitum et natura loci et manu munitum esse animadverterunt. Mox, etsi intellegebant se non sine periculo id facturos, speluncam intraverunt; quod cum fecissent, magnam copiam lactis in vasis ingentibus conditam invenerunt. Dum tamen mirantur quis in ea sede habitaret, sonitum terribilem audiverunt, et oculis ad portam tortis monstrum horribile viderunt, humana quidem specie et figura, sed ingenti magnitudine corporis. Cum autem animadvertissent monstrum unum oculum tantum habere in media fronte positum, intellexerunt hunc esse unum e Cyclopibus, de quibus famam iam acceperant.

85. THE GIANT'S SUPPER

Cyclopes autem pastores erant quidam qui insulam Siciliam et praecipue montem Aetnam incolebant; ibi enim Volcanus, praeses fabrorum et ignis repertor, cuius servi Cyclopes erant, officinam suam habebat.

Graeci igitur simul ac monstrum viderunt, terrore paene exanimati in interiorem partem speluncae refugerunt et se ibi abdere conabantur. Polyphemus autem (sic enim Cyclops appellabatur) pecus suum in speluncam compulit; deinde, cum saxo ingenti portam obstruxisset, ignem in media spelunca fecit. Hoc facto, oculo omnia perlustrabat, et cum sensisset homines in interiore parte speluncae esse abditos, magna voce exclamavit: "Qui homines estis? Mercatores an latrones?" Tum Ulixes respondit se neque mercatores esse neque praedandi causa venisse; sed a Troia redeuntis vi tempestatum a recto cursu depulsos esse. Oravit etiam ut sibi sine iniuria abire liceret. Tum Polyphemus quaesivit ubi esset navis qua vecti essent; sed Ulixes cum sibi maxime praecavendum esse bene intellegeret, respondit navem suam in rupis coniectam omnino fractam esse. Polyphemus autem nullo responso dato duo e sociis manu corripuit, et membris eorum divulsis carnem devorare coepit.

86. A DESPERATE SITUATION

Dum haec geruntur, Graecorum animos tantus terror occupavit ut ne vocem quidem edere possent, sed omni spe salutis deposita mortem praesentem exspectarent. Polyphemus, postquam fames hac tam horribili cena depulsa est, humi prostratus somno se dedit. Quod cum vidisset Ulixes, tantam occasionem rei gerendae non omittendam arbitratus, in eo erat ut pectus monstri gladio transfigeret. Cum tamen nihil temere agendum existimaret, constituit explorare, antequam hoc faceret, qua ratione ex spelunca evadere possent. At cum saxum animadvertisset quo introitus obstructus erat, nihil sibi profuturum intellexit si Polyphemum interfecisset. Tanta enim erat eius saxi magnitudo ut ne a decem quidem hominibus amoveri posset. Quae cum ita essent, Ulixes hoc conatu destitit et ad socios rediit; qui cum intellexissent quo in loco res essent, nulla spe salutis oblata de fortunis suis desperare coeperunt. Ille tamen ne animos demitterent vehementer hortatus est; demonstravit se iam antea e multis et magnis periculis evasisse, neque dubium esse quin in tanto discrimine di auxilium laturi essent.

87. A PLAN FOR VENGEANCE

Orta luce Polyphemus iam e somno excitatus idem quod hesterno die fecit; correptis enim duobus e reliquis viris carnem eorum sine mora devoravit. Tum, cum saxum amovisset, ipse cum pecore suo ex spelunca progressus est; quod cum Graeci viderent, magnam in spem se post paulum evasuros venerunt. Mox tamen ab hac spe repulsi sunt; nam Polyphemus, postquam omnes oves exierunt, saxum in locum restituit. Reliqui omni spe salutis deposita lamentis lacrimisque se dediderunt; Ulixes vero, qui, ut supra demonstravimus, vir magni fuit consili, etsi intellegebat rem in discrimine esse, nondum omnino desperabat. Tandem, postquam diu haec toto animo cogitavit, hoc consilium cepit. E lignis quae in spelunca reposita erant palum magnum delegit. Hunc summa cum diligentia praeacutum fecit; tum, postquam sociis quid fieri vellet ostendit, reditum Polyphemi exspectabat.

88. A GLASS TOO MUCH

Sub vesperum Polyphemus ad speluncam rediit, et eodem modo quo antea cenavit. Tum Ulixes utrem vini prompsit, quem forte (id quod ei erat saluti) secum attulerat; et postquam magnum poculum vino complevit, monstrum ad bibendum provocavit. Polyphemus, qui numquam antea vinum gustaverat, totum poculum statim exhausit; quod cum fecisset, tantam voluptatem percepit ut iterum et tertium poculum repleri iusserit. Tum, cum quaesivisset quo nomine Ulixes appellaretur, ille respondit se Neminem appellari; quod cum audivisset, Polyphemus ita locutus est: "Hanc, tibi gratiam pro tanto beneficio referam; te postremum omnium devorabo." Hoc cum dixisset, cibo vinoque gravis recubuit et brevi tempore somno oppressus est. Tum Ulixes sociis convocatis, "Habemus," inquit, "quam petiimus facultatem; ne igitur tantam occasionem rei gerendae omittamus."

89. THE BLINDING OF POLYPHEMUS

Hac oratione habita, postquam extremum palum igni calefecit, oculum Polyphemi dormientis ferventi ligno perfodit; quo facto omnes in diversas speluncae partis se abdiderunt. At ille subito illo dolore oculi e somno excitatus clamorem terribilem sustulit, et dum per speluncam errat, Ulixem manu prehendere conabatur; cum tamen iam omnino caecus esset, nullo modo hoc efficere potuit. Interea reliqui Cyclopes clamore audito undique ad speluncam convenerunt, et ad introitum adstantes quid Polyphemus ageret quaesiverunt, et quam ob causam tantum clamorem sustulisset. Ille respondit se graviter vulneratum esse et magno dolore adfici. Cum tamen postea quaesivissent quis ei vim intulisset, respondit ille Neminem id fecisse; quibus rebus auditis unus e Cyclopibus: "At si nemo," inquit, "te vulneravit, haud dubium est quin consilio deorum, quibus resistere nec possumus nec volumus, hoc supplicio adficiaris." Hoc cum dixisset, abierunt Cyclopes eum in insaniam incidisse arbitrati.

90. THE ESCAPE

Polyphemus ubi socios suos abiisse sensit, furore atque amentia impulsus Ulixem iterum quaerere coepit; tandem cum portam invenisset, saxum quo obstructa erat amovit, ut pecus in agros exiret. Tum ipse in introitu consedit, et ut quaeque ovis ad hunc locum venerat, eius tergum manibus tractabat, ne viri inter ovis exire possent. Quod cum animadvertisset Ulixes, intellexit omnem spem salutis in dolo magis quam in virtute poni. Itaque hoc consilium iniit. Primum tris quas vidit pinguissimas ex ovibus delegit, quas cum inter se viminibus coniunxisset, unum ex sociis suis ventribus earum ita subiecit ut omnino lateret; deinde ovis hominem secum ferentis ad portam egit. Id accidit quod fore suspicatus erat. Polyphemus enim postquam terga ovium manibus tractavit, eas praeterire passus est. Ulixes ubi rem tam feliciter evenisse vidit, omnis socios suos ex ordine eodem modo emisit; quo facto ipse novissimus evasit.

91. OUT OF DANGER

Iis rebus ita confectis, Ulixes veritus ne Polyphemus fraudem sentiret, cum sociis quam celerrime ad litus contendit; quo cum venissent, ab iis qui navi praesidio relicti erant magna cum laetitia excepti sunt. Hi enim cum anxiis animis iam tris dies continuos reditum eorum exspectavissent, eos in aliquod periculum magnum incidisse (id quidem quod erat) suspicati, ipsi auxiliandi causa egredi parabant. Tum Ulixes non satis tutum arbitratus in eo loco manere, quam celerrime profisisci constituit. Iussit igitur omnis navem conscendere, et ancoris sublatis paulum a litore in altum provectus est. Tum magna voce exclamavit: "Tu, Polypheme, qui iura hospiti spernis, iustam et debitam poenam immanitatis tuae solvisti." Hac voce audita Polyphemus ira vehementer commotus ad mare se contulit, et ubi navem paulum a litore remotam esse intellexit, saxum ingens manu correptum in eam partem coniecit unde vocem venire sensit. Graeci autem, etsi non multum afuit quin submergerentur, nullo damno accepto cursum tenuerunt.

92. THE COUNTRY OF THE WINDS

Pauca milia passuum ab eo loco progressus Ulixes ad insulam Aeoliam navem appulit. Haec patria erat ventorum,

"Hic vasto rex Aeolus antro luctantis ventos tempestatesque sonoras imperio premit ac vinclis et carcere frenat."

Ibi rex ipse Graecos hospitio excepit, atque iis persuasit ut ad recuperandas viris paucos dies in ea regione commorarentur. Septimo die cum socii e laboribus se recepissent, Ulixes, ne anni tempore a navigatione excluderetur, sibi sine mora proficiscendum statuit. Tum Aeolus, qui sciebat Ulixem cupidissimum esse patriae videndae, ei iam profecturo magnum saccum e corio confectum dedit, in quo ventos omnis praeter unum incluserat. Zephyrum tantum solverat, quod ille ventus ab insula Aeolia ad Ithacam naviganti est secundus. Ulixes hoc donum libenter accepit, et gratiis pro tanto beneficio actis saccum ad malum adligavit. Tum omnibus rebus ad profectionem paratis meridiano fere tempore e portu solvit.

93. THE WIND-BAG

Novem dies secundissimo vento cursum tenuerunt, iamque in conspectum patriae suae venerant, cum Ulixes lassitudine confectus (ipse enim gubernabat) ad quietem capiendam recubuit. At socii, qui iam dudum mirabantur quid in illo sacco inclusum esset, cum ducem somno oppressum viderent, tantam occasionem non omittendam arbitrati sunt; credebant enim aurum et argentum ibi esse celata. Itaque spe lucri adducti saccum sine mora solverunt, quo facto venti

"velut agmine facto qua data porta ruunt, et terras turbine perflant."

Hic tanta tempestas subito coorta est ut illi cursum tenere non possent sed in eandem partem unde erant profecti referrentur. Ulixes e somno excitatus quo in loco res esset statim intellexit; saccum solutum, Ithacam post tergum relictam vidit. Tum vero ira vehementer exarsit sociosque obiurgabat quod cupiditate pecuniae adducti spem patriae videndae proiecissent.

94. A DRAWING OF LOTS

Brevi spatio intermisso Graeci insulae cuidam appropinquaverunt in qua Circe, filia Solis, habitabat. Quo cum navem appulisset, Ulixes in terram frumentandi causa egrediendum esse statuit; nam cognoverat frumentum quod in navi haberent iam deficere. Sociis igitur ad se convocatis quo in loco res esset et quid fieri vellet ostendit. Cum tamen omnes memoria tenerent quam crudeli morte necati essent ii qui nuper e navi egressi essent, nemo repertus est qui hoc negotium suscipere vellet. Quae cum ita essent, res ad controversiam deducta est. Tandem Ulixes consensu omnium socios in duas partis divisit, quarum alteri Eurylochus, vir summae virtutis, alteri ipse praeesse. Tum hi inter se sortiti sunt uter in terram egrederetur. Hoc facto, Eurylocho sorte evenit ut cum duobus et viginti sociis rem susciperet.

95. THE HOUSE OF THE ENCHANTRESS

His rebus ita constitutis ii qui sortiti erant in interiorem partem insulae profecti sunt. Tantus tamen timor animos eorum occupaverat ut nihil dubitarent quin morti obviam irent. Vix quidem poterant ii qui in navi relicti erant lacrimas tenere; credebant enim se socios suos numquam post hoc tempus visuros. Illi autem aliquantum itineris progressi ad villam quandam pervenerunt summa magnificentia aedificatam, cuius ad ostium cum adiissent, cantum dulcissimum audiverunt. Tanta autem fuit eius vocis dulcedo ut nullo modo retineri possent quin ianuam pulsarent. Hoc facto ipsa Circe foras exiit, et summa cum benignitate omnis in hospitium invitavit. Eurylochus insidias sibi comparari suspicatus foris exspectare constituit, sed reliqui rei novitate adducti intraverunt. Cenam magnificam omnibus rebus instructam invenerunt et iussu dominae libentissime accubuerunt. At Circe vinum quod servi apposuerunt medicamento quodam miscuerat; quod cum Graeci bibissent, gravi somno subito oppressi sunt.

96. THE CHARM

Tum Circe, quae artis magicae summam scientiam habebat, baculo aureo quod gerebat capita eorum tetigit; quo facto omnes in porcos subito conversi sunt. Interea Eurylochus ignarus quid in aedibus ageretur ad ostium sedebat; postquam tamen ad solis occasum anxio animo et sollicito exspectavit, solus ad navem regredi constituit. Eo cum venisset, sollicitudine ac timore tam perturbatus fuit ut quae vidisset vix dilucide narrare posset. Ulixes autem satis intellexit socios suos in periculo versari, et gladio correpto Eurylocho imperavit ut sine mora viam ad istam domum demonstraret. Ille tamen multis cum lacrimis Ulixem complexus obsecrare coepit ne in tantum periculum se committeret; si quid gravius ei accidisset, omnium salutem in summo discrimine futuram. Ulixes autem respondit se neminem invitum secum adducturum; ei licere, si mallet, in navi manere; se ipsum sine ullo praesidio rem suscepturum. Hoc cum magna voce dixisset, e navi desiluit et nullo sequente solus in viam se dedit.

97. THE COUNTERCHARM

Aliquantum itineris progressus ad villam magnificam pervenit, quam cum oculis perlustrasset, statim intrare statuit; intellexit enim hanc esse eandem domum de qua Eurylochus mentionem fecisset. At cum in eo esset ut limen intraret, subito ei obviam stetit adulescens forma pulcherrima aureum baculum gerens. Hic Ulixem iam domum intrantem manu corripuit et, "Quo ruis?" inquit. "Nonne scis hanc esse Circes domum? Hic inclusi sunt amici tui ex humana specie in porcos conversi. Num vis ipse in eandem calamitatem venire?" Ulixes simul ac vocem audivit, deum Mercurium agnovit; nullis tamen precibus ab instituto consilio deterreri potuit. Quod cum Mercurius sensisset, herbam quandam ei dedit, quam contra carmina multum valere dicebat. "Hanc cape," inquit, "et ubi Circe te baculo tetigerit, tu stricto gladio impetum in eam vide ut facias." Mercurius postquam finem loquendi fecit,

"mortalis visus medio sermone reliquit, et procul in tenuem ex oculis evanuit auram."

98. THE ENCHANTRESS IS FOILED

Brevi intermisso spatio Ulixes ad omnia pericula subeunda paratus ianuam pulsavit, et foribus patefactis ab ipsa Circe benigne exceptus est. Omnia eodem modo atque antea facta sunt. Cenam magnifice instructam vidit et accumbere iussus est. Mox, ubi fames cibo depulsa est, Circe poculum aureum vino repletum Ulixi dedit. Ille etsi suspicatus est venenum sibi paratum esse, poculum exhausit; quo facto Circe postquam caput eius baculo tetigit, ea verba locuta est quibus socios eius antea in porcos converterat. Res tamen omnino aliter evenit atque illa speraverat. Tanta enim vis erat eius herbae quam Ulixi Mercurius dederat ut neque venenum neque verba quicquam efficere possent. Ulixes autem, ut ei praeceptum erat, gladio stricto impetum in eam fecit et mortem minitabatur. Circe cum artem suam nihil valere sensisset, multis cum lacrimis eum obsecrare coepit ne sibi vitam adimeret.

99. MEN ONCE MORE

Ulixes autem ubi sensit eam timore perterritam esse, postulavit ut socios suos sine mora in humanam speciem reduceret (certior enim factus erat a deo Mercurio eos in porcos conversos esse); nisi id factum esset, se debitas poenas sumpturum ostendit. Circe his rebus graviter commota ei ad pedes se proiecit, et multis cum lacrimis iure iurando confirmavit se quae ille imperasset omnia facturam. Tum porcos in atrium immitti iussit. Illi dato signo inruerunt, et cum ducem suum agnovissent, magno dolore adfecti sunt quod nullo modo eum de rebus suis certiorem facere poterant. Circe tamen unguento quodam corpora eorum unxit; quo facto sunt omnes statim in humanam speciem reducti. Magno cum gaudio Ulixes suos amicos agnovit, et nuntium ad litus misit, qui reliquis Graecis socios receptos esse diceret. Illi autem his rebus cognitis statim ad domum Circaeam se contulerunt; quo cum venissent, universi laetitiae se dediderunt.

100. AFLOAT AGAIN

Postridie eius diei Ulixes ex hac insula quam celerrime discedere in animo habebat. Circe tamen cum haec cognovisset, ex odio ad amorem conversa omnibus precibus eum orare et obtestari coepit ut paucos dies apud se moraretur; qua re tandem impetrata tanta beneficia in eum contulit ut facile ei persuasum sit ut diutius maneret. Postquam tamen totum annum apud Circen consumpserat, Ulixes magno desiderio patriae suae motus est. Sociis igitur ad se convocatis quid in animo haberet ostendit. Ubi tamen ad litus descendit, navem suam tempestatibus tam adflictam invenit ut ad navigandum paene inutilis esset. Hac re cognita omnia quae ad navis reficiendas usui essent comparari iussit, qua in re tantam diligentiam omnes adhibebant ut ante tertium diem opus perfecerint. At Circe ubi omnia ad profectionem parata esse vidit, rem aegre ferebat et Ulixem vehementer obsecrabat ut eo consilio desisteret. Ille tamen, ne anni tempore a navigatione excluderetur, maturandum sibi existimavit, et tempestatem idoneam nactus navem solvit. Multa quidem pericula Ulixi subeunda erant antequam in patriam suam perveniret, quae tamen hoc loco longum est perscribere.

FOR NOTES, CONSULT

http://www.gutenberg.org/cache/epub/8997/pg8997-images.html

VOCABULARY

ABBREVIATIONS: abl. = ablative. acc. = accusative. act. = active. adj. = adjective. adv. = adverb. comp. = comparative. conj. = conjunction. dat. = dative. dem. = demonstrative. f. = feminine. freq. = frequentative. gen. = genitive. ger. = gerundive. impers. = impersonal. indecl. = indeclinable. indef. = indefinite. infin. = infinitive. interrog. = interrogative. loc. = locative. m. = masculine. n. = neuter. part. = participle. pass. = passive. perf. = perfect. pers. = personal. plur. = plural. prep. = preposition. pron. = pronoun or pronominal. rel. = relative. sing. = singular. superl. = superlative. The hyphen in initial words indicates the composition of the words.

A

a or ab (the former never used before words beginning with a vowel or h), prep. with abl., away from, from; of; by. abditus, -a, -um [part of abdo], hidden, concealed. ab-do, -dere, -didi, -ditus, put away, hide. ab-duco, -ducere, -duxi, -ductus, lead or take away. ab-eo, -ire, -ii, -iturus, go away, depart. abicio, -icere, -ieci, -iectus [ab + iacio], throw away. abripio, -ripere, -ripui, -reptus [ab + rapio], snatch away, carry off. abscido, -cidere, -cidi, -cisus [abs = ab + caedo], cut away or off. ab-scindo, -scindere, -scidi, -scissus, tear away or off. ab-sum, abesse, afui, afuturus, be away, be absent, be distant; be wanting. ab-sumo, -sumere, -sumpsi, -sumptus, take away, consume, destroy. Absyrtus, -i, m., Absyrtus. ac, see atque. Acastus, -i, m., Acastus. accendo, -cendere, -cendi, -census, kindle, light. accido, -cidere, -cidi [ad + cado], fall to or upon; befall, happen. accipio, -cipere, -cepi, -ceptus [ad + capio], take to oneself, receive, accept; hear; suffer. accumbo, -cumbere, -cubui, -cubitus, lie down (at table). accurro, -currere, -curri, -cursus [ad + curro], run to, come up. acer, acris, acre, sharp, shrill. acies, -ei, f., line of battle. Acrisius, -i, m., Acrisius. acriter [acer], adv., sharply, fiercely. ad, prep. with acc., to, toward; at, near; for. ad-amo, -amare, -amavi, -amatus, feel love for, fall in love with. ad-duco, -ducere, -duxi, -ductus,

lead to, bring, take; induce, influence. ad-eo, -ire, -ii, -itus, go to, approach. ad-fero, adferre, attuli, adlatus, bear to, bring. adficio, -ficere, -feci, -fectus [ad + facio], do to, move, affect; visit, afflict. ad-fligo, -fligere, -flixi, -flictus, dash to, shatter. adhibeo, -hibere, -hibui, -hibitus [ad + habeo], hold to, employ, show. ad-huc, adv., to this point, up to this time, yet, still. adicio, -icere, -ieci, -iectus [ad + iacio], throw to, throw, hurl. adimo, -imere, -emi, -emptus [ad + emo], take to oneself, take away. aditus, -us [adeo], m., approach, entrance. ad-iungo, -iungere, -iunxi, -iunctus, join to, join. ad-ligo, -ligare, -ligavi, -ligatus, bind to, bind. Admeta, -ae, f., Admeta. ad-miror, -mirari, -miratus, wonder at, admire. ad-mitto, -mittere, -misi, -missus, send to, admit; allow. ad-sto, -stare, -stiti, stand at or near. adulescens, -entis, m., youth, young man. adulescentia, -ae [adulescens], f., youth. ad-uro, -urere, -ussi, -ustus, set fire to, burn, scorch, sear. ad-venio, -venire, -veni, -ventus, come to or toward, approach, arrive. adventus, -us [advenio], m., approach, arrival. Aeacus, -i, m., Aeacus. aedifico, -are, -avi, -atus [aedis + facio], make a building, build. aedis, -is, f., sing. temple, plur. house. Aeetes, -ae, m., Aeetes. aegre [aeger, sick], adv., ill, with difficulty. Aegyptii,-orum, m. pl., Egyptians. aeneus, -a, -um [aes], of copper or bronze. Aeolia, -ae [Aeolus], f., Aeolia. Aeolus, -i, m., Aeolus. aer, aeris, m., air. aes, aeris, n., copper, bronze. Aeson, -onis, m., Aeson. aestas, -tatis, f., summer. aetas, -tatis, f., age. Aethiopes, -um, m. plur., Ethiopians. Aetna, -ae, f., Etna. ager, agri, m., field, land. agmen, -minis [ago], n., band, column. agnosco, -gnoscere, -gnovi, -gnitus [ad + (g)nosco, come to know], recognize. ago, agere, egi, actus, drive; do; pass, lead; gratias agere, see gratia. ala, -ae, f., wing. albus, -a, -um, white. Alcmena, -ae, f., Alcmena. alienus, -a, -um [alius], belonging to another, out of place. ali-quando, adv., at some time or other; finally, at length. ali-quantum, -quanti, n., somewhat. ali-qui, -qua, -quod, indef. pron. adj., some, any. ali-quis, -quid, indef. pron., someone, any one, something, anything, some, any. aliter [alius], adv., in another way, otherwise, differently. alius, -a, -ud, another, other; alii … alii, _some … others. alo, -ere, -ui, -tus, nourish. Alpes, -ium, f. plur., Alps. alter, -era, -erum, one or the other (of two); another, second. altus, -a, -um [part, of alo], high, deep; altum, -i, n., the deep. Amazones, -um, f. plur., Amazons. amentia, -ae [a + mens, mind], f., madness. amicus, -i, m., friend. a-mitto, -mittere, -misi, -missus, send away, lose. amo, -are, -avi, -atus, love. amor, -oris [amo], m., love. a-moveo, -movere, -movi, -motus, move away. amphora, -ae, f., jar, bottle. an, conj., or (in questions). ancora, -ae, f., anchor; in ancoris, at anchor. Andromeda, -ae, f., Andromeda. anguis, -is, m. and f., serpent, snake. anima, -ae, f., breath, soul, life. animadverto, -vertere, -verti, -versus [animus + ad-verto], turn the mind to, observe. animus, -i, m., mind; heart; spirit, courage. annus, -i, m., year. ante, prep, with acc. and adv., before. antea [ante], adv., before. antecello, -cellere, surpass, excel. ante-quam, conj., before than, sooner than, before. antiquus, -a, -um, ancient. antrum, -i, n., cave. anxius, -a, -um, anxious. aper, apri, m., wild boar. aperio, -ire, -ui, -tus, open. apertus, -a, -um [part, of aperio], open. Apollo, -inis, m., Apollo. appello, -pellare, -pellavi, -pellatus, call, name. appello, -pellere, -puli, -pulsus [ad + pello], drive to, bring to; with or without navem, put in. appeto, -petere, -petivi, -petitus [ad + peto], draw near. appono, -ponere, -posui, -positus [ad + pono], put to or near, set before, serve. appropinquo, -propinquare, -propinquavi, -propinquatus [ad + propinquo], approach to, approach. apud, prep, with acc., among, with. aqua, -ae, f., water. ara, -ae, f., altar. arbitror, -ari, -atus, consider, think, judge. arbor, -oris, f., tree. arca, -ae, f., chest, box, ark. Arcadia,-ae, f., Arcadia. arcesso, -ere, -ivi, -itus, call, summon, fetch. arcus, -us, m., bow. ardeo, ardere, arsi, arsus, be on fire, burn. argentum, -i, n., silver. Argo, Argus, f., the Argo. Argolicus, -a, -um, of Argolis (the district of Greece in which Tiryns was situated), Argolic. Argonautae, -arum [Argo + nauta], m. plur., Argonauts. Argus, -i, m., Argus. aries, -etis, m., ram. arma, -orum, n. plur., arms, weapons. armatus, -a, -um [part, of armo], armed. armo, -are, -avi, -atus [arma], arm, equip. aro, -are, -avi, -atus, plow. ars, artis, f., art. ascendo, -scendere, -scendi, -scensus [ad + scando], climb to, ascend, mount. aspicio, -spicere,

-spexi, -spectus [ad + specio], look at or on, behold. at, conj., but. Athenae, -arum, f. plur., Athens. Atlas, -antis, m., Atlas. atque or ac (the latter never used before words beginning with a vowel or h), conj., and; after words of comparison, as, than. atrium, -i, n., hall. attingo, -tingere, -tigi, -tactus [ad + tango], touch at. audacia, -ae [audax, bold], f., boldness, audacity. audeo, audere, ausus sum, dare. audio, -ire, -ivi, -itus, hear; listen or attend to. aufero, auferre, abstuli, ablatus [ab + fero], bear away, carry off. aufugio, -fugere, -fugi [ab + fugio], flee or run away. Augeas, -ae, m., Augeas. aura, -ae, f., air, breeze. aureus, -a, -um [aurum], of gold, golden. auris, -is, f., ear. aurum, -i, n., gold. aut, conj., or; aut … aut, either … or. autem, conj., moreover; but, however; now. auxilior, -ari, -atus [auxilium], help. auxilium, -i, n., help, aid. a-veho, -vehere, -vexi, -vectus, carry away. avis, -is, f., bird. a-volo, -volare, -volavi, -volaturus, fly away. avus, -i, m., grandfather.

B

baculum, -i, n., stick, wand. balteus, -i, m.., belt, girdle. barbarus, -a, -um, barbarian. beatus, -a, -um, happy, blessed. bellicosus, -a, -um [bellum], war-like. bellum, -i, n., war. belua, -ae, f., beast, monster. bene [bonus], adv., well; successfully. beneficium, -i [bene + facio], n., well-doing, kindness, service, benefit. benigne [benignus, kind], adv., kindly. benignitas, -tatis [benignus, kind], f., kindness. bibo, bibere, bibi, drink. biceps, -cipitis [bi- + caput], adj., two-headed. bonus, -a, -um, good. bos, bovis, gen. plur. boum, dat. and abl. plur. bobus, m. and f., ox, bull, cow. bracchium, -i, n., arm. brevis, -e, short. Busiris, -idis, m., Busiris.

C

Cacus, -i, m., Cacus. cadaver, -eris, n., dead body, corpse, carcass. cado, cadere, cecidi, casurus, fall. caecus, -a, -um, blind. caedes, -is [caedo, cut], f., cutting down, killing, slaughter. caelum, -i, n., heaven, sky. Calais, -is, m., Calais. calamitas, -tatis, f., misfortune, calamity, disaster. calceus, -i, m., shoe. calefacio, -facere, -feci, -factus [caleo, be hot + facio], make hot. calor, -oris [caleo, be hot], m., heat. campus, -i, m., plain, field. cancer, cancri, m., crab. canis, -is, m. and f., dog. canto, -are, -avi, -atus [freq. of cano, sing], sing. cantus, -us [cano, sing], m., singing, song. capio, capere, cepi, captus, take, catch, seize; receive, suffer; adopt. captivus, -a, -um [capio], captive. caput, capitis, n., head. carcer, -eris, m., prison. carmen, -minis [cano, sing], n., song, charm. caro, carnis, f., flesh. carpo, -ere, -si, -tus, pluck. Castor, -oris, m., Castor. castra, -orum, n. plur., camp. casu [abl. of casus], adv., by chance, accidentally. casus, -us [cado], m., fall; chance, accident. catena, -ae, f., chain. cauda, -ae, f., tail. causa, -ae, f., cause, reason; abl. causa, for the sake of. caveo, cavere, cavi, cautus, beware, take care; be on one's guard against, beware of. celeber, celebris, celebre, frequented; renowned, celebrated. celeritas, -tatis [celer, swift], f., swiftness, quickness, speed. celeriter [celer, swift], adv., swiftly, quickly. celo, -are, -avi, -atus, hide, conceal. cena, -ae, f., dinner. cenaculum, -i [cena], n., dining-room. Cenaeum, -i, n., Cenaeum (a promontory of Euboea). ceno, -are, -avi, -atus [cena], dine. censeo, censere, censui, census, think, believe, consider. centaurus, -i, m., centaur. centum, indecl. adj., one hundred. Cepheus, -i, m., Cepheus. Cerberus, -i, m., Cerberus. Ceres, Cereris, f., Ceres. cerno, cernere, crevi, certus or cretus, discern, perceive, make out. certamen, -minis [certo, strive], n., struggle,

contest. certo [abl. of certus], adv., with certainty, for certain, certainly. certus, -a, -um [part. of cerno], determined, fixed, certain; certiorem facere, to make more certain, inform. cervus, -i, m., stag. ceteri, -ae, -a, plur. adj., the other, the remaining, the rest of. Charon, -ontis, m., Charon. cibus, -i, m., food. cingo, cingere, cinxi, cinctus, surround, gird. Circe, -es, f., Circe. Circaeus, -a, -um [Circe], of Circe. circiter, prep. with acc. and adv., about. circum, prep. with acc., around. circum-do, -dare, -dedi, -datus, put around, surround. circum-sto, -stare, -steti, stand around. citerior, -ius [comp. from citra, on this side of], adj., on this side, hither. cithara, -ae, f., cithara, lute, lyre. citharoedus, -i [cithara], m., citharoedus (one who sings to the accompaniment of the cithara). civis, -is, m. and f., citizen, fellow-citizen, subject. civitas, -tatis [civis], f., state. clamito, -are, -avi, -atus [freq. of clamo, call out], call out. clamor, -oris [clamo, call out], m., shout, cry. clava, -ae, f., club. clementia, -ae [clemens, merciful], f., mercy, kindness. coepi, coepisse, coeptus (used in tenses of completed action), have begun, began. cogito, -are, -avi, -atus, consider, think over. cognosco, -gnoscere, -gnovi, -gnitus [com- + (g)nosco, come to know], find out, learn; in tenses of completed action, have found out, know. cogo, cogere, coegi, coactus [co- + ago], drive together, collect; compel. co-hortor, -hortari, -hortatus, encourage, exhort. Colchi, -orum, m. plur., Colchians. Colchis, -idis, f., Colchis. collum, -i, n., neck. colo, colere, colui, cultus, till, cultivate; inhabit; worship. color, -oris, m., color. columba, -ae, f., pigeon, dove. columna, -ae, f., column, pillar. comes, -itis [com- + eo], m. and f., companion. commeatus, -us, m., supplies, provisions. com-mitto, -mittere, -misi, -missus, send together; commit, intrust; expose; proelium committere, to join battle. com-moror, -morari, -moratus, tarry, linger, delay, stay. com-moveo, -movere, -movi, -motus, move, rouse; disturb. com-mutatio, -tionis, f., change. com-paro, -parare, -paravi, -paratus, prepare, collect. com-pello, -pellere, -puli, -pulsus, drive together, drive. complector, -plecti, -plexus, embrace. com-pleo, -plere, -plevi, -pletus, fill full, fill up. com-plures, -plura, plur. adj., several, many. com-porto, -portare, -portavi, -portatus, carry or bring together, collect. com-prehendo, -prehendere, -prehendi, -prehensus, seize, catch. comprimo, -primere, -pressi, -pressus [com- + premo], press together, squeeze, compress. conatus, -us [conor], m., attempt, effort. con-cedo, -cedere, -cessi, -cessus, grant, yield. con-curro, -currere, -curri, -cursus, run, rush, or dash together. con-do, -dere, -didi, -ditus, put together, found; store away. con-fero, conferre, contuli, conlatus, bring together; grant, confer; se conferre, to betake oneself, make one's way. conficio, -ficere, -feci, -fectus [com- + facio], make or do completely, complete, finish, accomplish, make; wear out. con-firmo, -firmare, -firmavi, -firmatus, strengthen, establish; declare, assert. con-fligo, -fligere, -flixi, -flictus, dash together. conicio, -icere, -ieci, -iectus [com- + iacio], throw together; throw, cast, hurl. con-iungo, -iungere, -iunxi, -iunctus, join together, join. coniunx, coniugis [coniungo], m. and f., spouse, husband, wife. conligo, -ligere, -legi, -lectus [com- + lego], gather together, collect. con-loco, -locare, -locavi, -locatus, place together, put, place. conloquium, -i [conloquor, talk together], n., conversation. conor, -ari, -atus, try, attempt. conscendo, -scendere, -scendi, -scensus [com- + scando, climb], climb; navem conscendere, to climb the ship, go on board, embark. consensus, -us [consentio, agree], m., agreement, consent. con-sequor, -sequi, -secutus, follow up, follow; overtake. con-servo, -servare, -servavi, -servatus, preserve, keep. con-sido, -sidere, -sedi, -sessus, sit down. consilium, -i [consulo], n., advice; plan, design, purpose; prudence. con-sisto, -sistere, -stiti, -stitus, station oneself, take one's stand; consist. conspectus, -us [conspicio], m., sight. conspicio, -spicere, -spexi, -spectus [com- + specio, look], behold, perceive, see. constituo, -stituere, -stitui, -stitutus [com- + statuo], set together or up; appoint; determine. con-sto, -stare, -stiti, -staturus, stand together, agree; consist; constat, it is agreed, is well known. con-suesco, -suescere, -suevi, -suetus, become accustomed; in tenses of completed action, have become accustomed, be accustomed or wont. consulo, -ere, -ui, -tus, consult. con-sumo, -sumere, -sumpsi, -sumptus, take completely, use up, consume, spend. con-

tego, -tegere, -texi, -tectus, cover. con-tendo, -tendere, -tendi, -tentus, stretch, hasten. continens, -entis [contineo], f., 'mainland, continent. contineo, -tinere, -tinui, -tentus [com- + teneo], hold together, keep within, shut up in; bound. continuus, -a, -um [contineo], continuous, successive. contra, prep, with acc., against, contrary to. controversia, -ae, f., quarrel, dispute, debate. con-venio, -venire, -veni, -ventus, come together, assemble. con-verto, -vertere, -verti, -versus, turn round, turn, change; in fugam convertere, to put to flight. con-voco, -vocare, -vocavi, -vocatus, call together, summon, assemble. co-orior, -oriri, -ortus, arise. copia, -ae, f., supply, abundance; plur., forces, troops. Corinthus, -i, m., Corinth. corium, -i, n., hide, leather. cornu, -us, n., horn. corpus, corporis, n., body. corripio, -ripere, -ripui, -reptus [com- + rapio], seize, snatch, snatch up. cottidie, adv., daily, every day. credibilis, -e [credo], credible. credo, -dere, -didi, -ditus, believe. creo, -are, -avi, -atus, elect, appoint. Creon, -ontis, m., Creon. crepitus, -us [crepo, rattle], m., rattle, clatter. crepundia, -orum [crepo, rattle], n. plur., rattle. Creta, -ae, f., Crete. cruciatus, -us [crucio, torture], m., torture. crudelis, -e, cruel. crus, cruris, n., leg. cubiculum, -i [cubo], n., bedroom. cubo, -are, -ui, lie down, lie, recline. culter, cultri, m., knife. cum, prep, with abl., with. cum, conj., when, while, after; since; although. cunae, -arum, f. plur., cradle. cupiditas, -tatis [cupidus], f., desire, longing, eagerness. cupidus, -a, -um [cupio], desirous, eager. cupio, -ere, -ivi, -itus, desire, long for, wish. cur, adv., why. curro, currere, cucurri, cursus, run. cursus, -us, m., chariot. cursus, -us [curro], m., running, course. custodio, -ire, -ivi, -itus [custos, guard], guard. Cyclops, -is, m., Cyclops Cyzicus, -i, f., Cyzicus.

D

damnum, -i, n., harm, injury. Danae, -es, f., Danae. de, prep, with abl., down from, from, out of; about, concerning, of. debeo, -ere, -ui, -itus [de+ habeo], owe; with infin., ought. debitus, -a, -um [part, of debeo], owed, due. de-cedo, -cedere, -cessi, -cessus, go away, depart. decem, indecl. adj., ten. decido, -cidere, -cidi [de + cado], fall down. decimus, -a, -um [decem], tenth. decipio, -cipere, -cepi, -ceptus [de + capio], catch, deceive. decoro, -are, -avi, -atus [decus, adornment], adorn, distinguish. de-curro, -currere, -cucurri, -cursus, run down. de-decus, -decoris, n., dishonor, disgrace. de-do, -dere, -didi, -ditus, give away or up. de-duco, -ducere, -duxi, -ductus, lead down or away, bring; navem deducere, to draw down or launch a ship. de-fendo, -fendere, -fendi, -fensus, ward off; defend. de-fero, -ferre, -tuli, -latus, bear or carry away or off. de-fessus, -a, -um, worn out, exhausted. deficio, -ficere, -feci, -fectus [de + facio], fail. Deianira, -ae, f., Dejanira. deicio, -icere, -ieci, -iectus [de + iacio], throw down, cast, drive out of one's course. deinde, adv., then, next. de-labor, -labi, -lapsus, slip or fall down. deligo, -ligere, -legi, -lectus [de + lego], choose out, choose, select. Delphi, -orum, m. plur., Delphi. Delphicus, -a, -um [Delphi], of Delphi, Delphic, Delphian. demissus, -a, -um [part. of demitto], downcast, dejected. de-mitto, -mittere, -misi, -missus, send down, let fall; animos demittere, to lose courage. de-monstro, -monstrare, -monstravi, -monstratus, point out, show; make known. demum, adv., at last. denique, adv., lastly, finally. dens, dentis, m., tooth. densus, -a, -um, thick. de-pello, -pellere, -puli, -pulsus, drive off or away, drive. de-ploro, -plorare, -ploravi, -ploratus, lament. de-pono, -ponere, -posui, -positus, put down, deposit; lay aside, give up; e memoria deponere, to forget. deripio, -ripere, -ripui, -reptus [de + rapio], snatch away, tear off, pull down. descendo, -scendere, -scendi, -scensus [de + scando], climb down, descend. de-sero, -serere, -serui, -sertus, desert. desertus, -a, -um [part, of desero], deserted. desiderium, -i [desidero, desire], n., desire, longing. desilio, -silire, -silui, -sultus [de + salio], leap down. de-sisto, -sistere, -stiti, -stitus, set down; leave off, desist, cease, stop. de-spero, -sperare, -speravi, -speratus,

despair. de-super, adv., down from above. de-terreo, -terrere, -terrui, -territus, frighten off, deter. de-traho, -trahere, -traxi, -tractus, draw or pull off. deus, -i, m., god. de-verto, -vertere, -verti, turn away or aside. de-voro, -vorare, -voravi, -voratus, swallow down, swallow, devour. dexter, -tra, -trum, right. dextra, -ae [dexter], f., right hand (manus understood). Diana, -ae, f., Diana. dico, dicere, dixi, dictus, say, speak; diem dicere, to appoint or set a day. dies, -ei, m. and f., day. difficilis, -e [dis- + facilis], not easy, difficult. difficultas, -tatis [difficilis], f., difficulty. diffundo, -fundere, -fudi, -fusus [dis- + fundo], pour forth, spread or shed abroad, diffuse. diligenter [diligens, careful], adv., carefully, diligently. diligentia, -ae [diligens, careful], f., care, diligence, industry. di-lucesco, -lucescere, -luxi, grow light, dawn. dilucide [dilucidus, distinct], adv., distinctly, plainly. di-mitto, -mittere, -misi, -missus, send different ways, send forth or away, despatch; let slip, lose. Diomedes, -is, m., Diomedes. dirus, -a, -um, dreadful. dis-cedo, -cedere, -cessi, -cessus, go apart, withdraw, depart. disco, discere, didici, learn. discrimen, -criminis, n., crisis, peril, danger. discus, -i, m., discus, quoit. disicio, -icere, -ieci, -iectus [dis- + iacio], throw apart, scatter. diu, adv., for a long time, a long time or while, long; comp. diutius, longer. di-vello, -vellere, -velli, -vulsus, tear apart, rend asunder, tear in pieces. diversus, -a, -um [part. of diverto], turned different ways, opposite, contrary, different. divido, -videre, -visi, -visus, divide, separate. do, dare, dedi, datus, give. doceo, -ere, -ui, -tus, teach, explain. dolor, -oris [doleo, be in pain], m., pain, grief; anger. dolus, -i, m., trick, craft. domina, -ae, f., mistress. domus, -us, f., house, home. donum, -i [do], n., gift. dormio, -ire, -ivi, sleep. draco, -onis, m., dragon, serpent. dubito, -are, -avi, -atus [dubius], doubt, hesitate. dubius, -a, -um, doubtful, uncertain. duco, ducere, duxi, ductus [dux], lead; make, dig; with or without in matrimonium, marry. dudum, adv., formerly, of old; iam dudum, this long time. dulcedo, -inis [dulcis], f., sweetness. dulcis, -e, sweet. dum, conj., while, as; as long as; until. duo, -ae, -o, plur. adj., two. duodecim [duo + decem], indecl. adj., twelve. duo-de-viginti, indecl. adj., eighteen. dux, ducis, m. and f., leader, commander.

E

e, see ex. ebrius, -a, -um, drunk. e-dico, -dicere, -dixi, -dictus, declare, proclaim, appoint. e-do, -dere, -didi, -ditus, put forth, give out, utter. e-duco, -ducere, -duxi, -ductus, lead out, draw. effervesco, -fervescere, -ferbui [ex + fervesco], boil up or over, boil. efficio, -ficere, -feci, -fectus [ex + facio], make or work out, accomplish, effect. efflo, -flare, -flavi, -flatus [ex + flo], breathe out. effugio, -fugere, -fugi [ex + fugio], flee out or away, escape. effundo, -fundere, -fudi, -fusus [ex + fundo], pour out. ego, mei, pers. pron., I. egredior, -gredi, -gressus [e + gradior], go out or forth, go ashore, disembark. egregie [egregius, excellent], adv., excellently, splendidly, admirably. Elis, -idis, f., Elis. Elysius, -a, -um, Elysian. e-mitto, -mittere, -misi, -missus, send out or forth. enim, conj., for. e-nuntio, -nuntiare, -nuntiavi, -nuntiatus, speak out, announce, make known. eo, ire, ii, itus, go. eo [is], adv., to that place, thither. equus, -i, m., horse. erectus, -a, -um [part, of erigo], upright, erect. erga, prep, with acc., toward, for. Erginus, -i, m., Erginus. Eridanus, -i, m., Eridanus. erigo, -rigere, -rexi, -rectus [e + rego], raise or set up, raise, lift; cheer, encourage. eripio, -ripere, -ripui, -reptus [e + rapio], snatch out or away, rescue. erro, -are, -avi, -atus, wander, stray; be mistaken. erudio, -rudire, -rudivi, -ruditus, instruct. Erymanthius, -a, -um, of Erymanthus, Erymanthian. Erythia, -ae, f., Erythia. et, conj., and; et … et, both … and. etiam [et + iam], adv., and now, also, too, even. et-si, conj., even if, although. Eunomus, -i, m., Eunomus. Europa, -ae, f., Europe. Eurylochus, -i, m., Eurylochus. Eurystheus, -i, m., Eurystheus. Eurytion, -onis, m., Eurytion. Eurytus, -i, m., Eurytus. e-vado, -vadere, -vasi, -vasus, go forth, get

away, escape. e-vanesco, -vanescere, -vanui, vanish away. e-venio, -venire, -veni, -ventus, come out; turn out, happen, befall. e-voco, -vocare, -vocavi, -vocatus, call out, challenge. e-vomo, -vomere, -vomui, -vomitus, vomit forth. ex or e (the latter never used before words beginning with a vowel or h), prep. with abl., out of, from; of. ex-animo, -animare, -animavi, -animatus, put out of breath, fatigue, tire, exhaust; stupefy; kill. ex-ardesco, -ardescere, -arsi, -arsus, blaze out, be inflamed, rage. ex-cedo, -cedere, -cessi, -cessus, go out or forth, depart. excipio, -cipere, -cepi, -ceptus [ex + capio], take out or up, receive, welcome, entertain. ex-cito, -citare, -citavi, -citatus, call out, arouse. ex-clamo, -clamare, -clamavi, -clamatus, cry out, exclaim. excludo, -cludere, -clusi, -clusus [ex + claudo], shut out, hinder, prevent. ex-cogito, -cogitare, -cogitavi, -cogitatus, think out, contrive, devise, invent. ex-crucio, -cruciare, -cruciavi, cruciatus, torture. ex-eo, -ire, -ii, -itus, go out. exerceo, -ercere, -ercui, -ercitus, exercise. exercitatio, -onis [exerceo], f., exercise. exercitus, -us, m., army. ex-haurio, -haurire, -hausi, -haustus, drink up or off, drain. existimo, -istimare, -istimavi, -istimatus [ex + aestimo, value], consider, believe, think. ex-orior, -oriri, -ortus, arise from, spring up, rise. ex-pello, -pellere, -puli, -pulsus, drive out, expel. ex-pio, -piare, -piavi, -piatus, expiate. explorator, -oris [exploro], m., explorer, scout, spy. ex-ploro, -plorare, -ploravi, -ploratus, search out, explore. ex-pono, -ponere, -posui, -positus, put out, set forth; put on shore, land; explain. exprimo, -primere, -pressi, -pressus [ex + premo], press out. exsilio, -silire, -silui [ex + salio], leap out or forth. exsilium, -i [exsul, exile], n., exile. ex-specto, -spectare, -spectavi, -spectatus, look out for, wait for, await, expect; wait. ex-spiro, -spirare, -spiravi, -spiratus, breathe out. ex-struo, -struere, -struxi, -structus, pile or heap up, build, erect. extemplo, adv., immediately, straightway, at once. ex-traho, -trahere, -traxi, -tractus, draw or drag out, release, rescue. extremus, -a, -um, last, extreme, furthest. exuo, -uere, -ui, -utus, put or take off.

F

faber, fabri, m., smith. fabricor, -ari, -atus [faber], make, fashion. fabula, -ae [for, speak], f., story. facile [facilis, easy], adv., easily. facinus, facinoris [facio], n., deed, crime. facio, facere, feci, factus, make, do; iter facere, see iter. facultas, -tatis [facilis, easy], f., possibility, opportunity, chance, means. fallo, fallere, fefelli, falsus, deceive. falsus, -a, -um [part. of fallo], feigned, pretended, false. falx, falcis, f., sickle; curved sword, falchion. fama, -ae [for, speak], f., report, rumor. fames, -is, abl. fame, f., hunger. far, farris, n., grain; meal. fatum, -i [part. of for, speak], n., destiny, fate. fauces, -ium, f. plur., throat. fax, facis, f., torch, firebrand. feliciter [felix, happy], adv., happily, fortunately, successfully. femina, -ae, f., woman. fera, -ae [ferus, wild], f., wild animal, beast. fere, adv., nearly, about, almost, for the most part. fero, ferre, tuli, latus, bear, bring. ferox, -ocis [ferus, wild], adj., fierce, savage. ferreus, -a, -um [ferrum, iron], of iron, iron. ferveo, -ere, boil; glow, burn. fessus, -a, -um, exhausted, worn out, weary. figura, -ae, f., form, shape, figure. filia, -ae, f., daughter. filius, -i, m., son. fingo, fingere, finxi, fictus, invent, make up. finis, -is, m., end, boundary; plur., borders, territory, country. finitimus, -a, -um [finis], neighboring, adjoining. fio, fieri, factus sum, be done or made, become, happen. flamma, -ae, f., flame. flumen, -minis [fluo, flow], n., river. fons, fontis, m., fountain, spring. foras [foris], adv., out of doors, forth, out. foris [foris], adv., out of doors, without. foris, -is, f., door. forma, -ae, f., form, appearance; beauty. formosus, -a, -um [forma], beautiful. forte [fors, chance], adv., by chance, accidentally. fortis, -e, brave. fortiter [fortis], adv., bravely. fortuna, -ae [fors, chance], f., fortune. fossa, -ae [part. of fodio, dig], f., ditch, trench. frango, frangere, fregi, fractus, break; dash to pieces, wreck. frater, fratris, m., brother. fraus, fraudis, f., deception, fraud. fremitus, -

us [fremo, roar], m., roaring, roar. freno, -are, -avi, -atus [frenum, bridle], bridle, restrain. fretum, -i, n., strait. frons, frontis, f., forehead. fructus, -us [fruor, enjoy], m., enjoyment; fruit. frumentor, -ari, -atus [frumentum], fetch grain, forage. frumentum, -i [fruor, enjoy], n., grain. frustra, adv., in vain. fuga, -ae, f., flight. fugio, fugere, fugi, fugiturus [fuga], flee, run away. fumus, -i, m., smoke. furor, -oris [furo, rage], m., rage, fury, frenzy, madness. furtum, -i [fur, thief], n., theft.

G

galea, -ae, f., helmet. Gallia, -ae, f., Gaul. gaudeo, gaudere, gavisus, be glad, rejoice. gaudium, -i [gaudeo], n., gladness, joy. gens, gentis, f., race, nation. genus, generis, n., kind, nature. gero, gerere, gessi, gestus, carry, wear; carry on, do. Geryon, -onis, m., Geryon. gigno, gignere, genui, genitus, produce, bring forth. gladius, -i, m., sword. Glauce, -es, f., Glauce. gloria, -ae, f., glory. Gorgo, -onis, f., Gorgon. Graeae, -arum, f. plur., the Graeae. Graecia, -ae [Graecus], f., Greece. Graecus, -a, -um, Greek. gratia, -ae [gratus], f., favor; gratitude, thanks; plur., thanks; gratias agere, to give thanks, thank; gratiam referre, to return a favor, show gratitude, requite. gratus, -a, -um, pleasing, grateful. gravis, -e, heavy; severe, grievous, serious. graviter [gravis], adv., severely, seriously. guberno, -are, -avi, -atus, steer. gusto, -are, -avi, -atus, taste.

H

habeo, -ere, -ui, -itus, have, hold; consider. habito, -are, -avi, -atus [freq. of habeo], dwell, inhabit. Hades, -ae, m., Hades. haereo, haerere, haesi, haesurus, stick; hesitate. haesito, -are, -avi, -atus [freq. of haereo], hesitate. Hammon, -onis, m., Hammon. harena, -ae, f., sand; shore. Harpýiae, -arum, f. plur., Harpies. haud, adv., not at all, by no means, not. haudquaquam [haud + quisquam], adv., in no wise, not at all. haurio, haurire, hausi, haustus, draw. herba, -ae, f., herb, plant. Hercules, -is, m., Hercules. Hesione, -es, f., Hesione. Hesperides, -um, f. plur., the Hesperides. hesternus, -a, -um [heri, yesterday], of yesterday, yesterday's, hesternus dies, yesterday. hic [hic], adv., here; hereupon. hic, haec, hoc, dem. pron., this; ille … hic, that … this, the former … the latter. hinc [hic], adv., from this place, hence. Hippolyte, -es, f., Hippolyte. Hispania, -ae, f., Spain. Homerus, i-, m., Homer. homo, hominis, m., man. honor, -oris, m., honor. hora, -ae, f., hour. horribilis, -e [horreo, shudder], dreadful, terrible, horrible. hortor, -ari, -atus, exhort, encourage, urge. hortus, -i, m., garden. hospitium, -i [hospes, host], n., hospitality. hostis, -is, m. and f., enemy, foe. huc [hic], adv., to this place, hither. humanus, -a, -um [homo], of man, human. humi [loc. of humus, ground], adv., on the ground. Hydra, -ae, f., Hydra. Hylas, -ae, m., Hylas.

I

iaceo, -ere, -ui, lie, be prostrate. iacio, iacere, ieci, iactus, throw, cast, hurl. iam, adv., now, already. ianua, -ae, f., door. Iason, -onis, m., Jason. ibi [is], adv., in that place, there. ictus, -us

[ico, strike], m., blow. idem, eadem, idem [is], dem. pron., the same; sometimes to be translated likewise, also. idoneus, -a, -um, suitable, fit; favorable. igitur, conj., therefore. ignarus, -a, -um [in-, not + gnarus, knowing], ignorant. ignavus, -a, -um [in-, not + gnavus, active], lazy, cowardly. ignis, -is, m., fire. ignoro, -are, -avi, -atus, be ignorant of. ignotus, -a, -um [in-, not + notus], unknown. Ilias, -adis, f., the Iliad. ille, illa, illud, dem. pron., that; he, she, it, they; ille … hic, see hic. imber, imbris, m., rain, shower. imbuo, -buere, -bui, -butus, wet, soak, dip. immanitas, -tatis [immanis, cruel], f., cruelty, barbarity. immitto, -mittere, -misi, -missus, send or let in. immolo, -molare, -molavi, -molatus [in + mola], sacrifice (the victim was sprinkled with consecrated meal). impedio, -pedire, -pedivi, -peditus [in + pes], hinder, prevent, impede. impello, -pellere, -puli, -pulsus [in + pello], drive or urge on, incite, urge. imperator, -oris [impero], m., commander, general. imperatum, -i [part, of impero], n., command, order. imperitus, -a, -um [in-, not + peritus], inexperienced, unskilled, ignorant. imperium, -i [impero], n., command; sway, rule. impero, -perare, -peravi, -peratus, command, order, enjoin. impetro, -petrare, -petravi, -petratus, gain one's end, obtain (a request). impetus, -us [in + peto], m., attack; impetum facere, to charge. impono, -ponere, -posui, -positus [in + pono], place or lay upon, impose; embark. improbus, -a, -um [in-, not + probus, upright], wicked. in, prep, with acc., into, in, to, upon; with abl., in, on. incido, -cidere, -cidi [in + cado], fall into or upon. includo, -cludere, -clusi, -clusus [in + claudo, shut], shut up in, inclose, imprison. incola, -ae [incolo], m. and f., inhabitant. in-colo, -colere, -colui, inhabit. incolumis, -e, unhurt, safe. in-commodum, -i, n., inconvenience. in-credibilis, e, incredible. in-duco, -ducere, duxi, -ductus, lead in or on, move, excite. induo, induere, indui, indutus, put on; clothe. in-eo, -ire, -ii, -itus, go into, enter; adopt. infandus, -a, -um [in-, not + ger. of for, speak], unspeakable, monstrous. infans, -fantis [in-, not + part. of for, speak], m. and f., infant, babe. infectus, -a, -um [in-, not + part. of facio], not done, undone, unaccomplished. in-felix, -felicis, adj., unhappy, unfortunate. inferi, -orum [inferus, below], m. plur., inhabitants of the underworld, the dead, the shades. infero, inferre, intuli, inlatus, bring in or against, wage against; inflict. infestus, -a, -um, unsafe, dangerous. inficio, -ficere, -feci, -fectus [in + facio], stain, dye. in-fundo, -fundere, -fudi, -fusus, pour in or upon. ingens, -gentis, adj., huge, vast. inicio, -icere, -ieci, -iectus [in +iacio], throw in or upon; cause, inspire. inimicus, -a, -um [in-, not + amicus], unfriendly, hostile. initium, -i [ineo], n., beginning. iniuria, -ae [in-, not + ius], f., injury, wrong, hurt, harm. inluvies, -ei, f., dirt, filth. inquam, inquis, inquit, defective verb, I say, you say, he says. in-rideo, -ridere, -risi, -risus, laugh at, mock. in-rumpo, -rumpere, -rupi, -ruptus, burst into or in. in-ruo, -ruere, -rui, rush in. insania, -ae [insanus, mad], f., madness, insanity. insciens, -scientis [in-, not + part. of scio], adj., unknowing, unaware. in-sequor, -sequi, -secutus, follow upon or up, pursue. insidiae, -arum, f. plur., ambush; plot, stratagem. inspergo, -spergere, -spersi, -spersus [in + spargo], sprinkle on or over. inspicio, -spicere, -spexi, -spectus [in + specio], look into or upon. instituo, -stituere, -stitui, -stitutus [in + statuo], decide upon, determine. in-struo, -struere, -struxi, -structus, build in or into; draw up; equip, furnish, insula, -ae, f., island. intellego, -legere, -lexi, -lectus, perceive, understand. in-tendo, -tendere, -tendi, -tentus, stretch out; stretch, draw, aim. inter, prep, with acc., among, between. interea [inter], adv., in the meantime, meanwhile. interficio, -ficere, -feci, -fectus [inter + facio], put out of the way, kill. interior, -ius [comp. from inter], adj., interior, inner. inter-mitto, -mittere, -misi, -missus, leave off, interrupt; let pass; pass., be left between, intervene, elapse. inter-sum, -esse, -fui, -futurus, be or lie between. intervallum, -i, n., interval, space, distance. intra [inter], prep. with acc., within. intro, -are, -avi, -atus [intra], go within or into, enter. introitus, -us [introeo, go within], m., entrance. in-tueor, -tueri, -tuitus, look upon, behold. in-usitatus, -a, -um, unusual, extraordinary. in-utilis, -e, not useful, useless. in-venio, -venire, -veni, -ventus, come upon, find. invito, -are, -avi, -atus, invite. invitus, -a, -um, unwilling. Iolaus, -i, m., Iolaus. Iole, -es, f., Iole. Iovis, gen. of Iuppiter. Iphicles, -is, m., Iphicles. ipse, ipsa, ipsum, intensive pron., self, himself,

herself, itself, themselves; often to be rendered by very. ira, -ae, f., anger, wrath. irascor, irasci, iratus [ira], be angry. iratus, -a, -um [part, of irascor], angered, enraged, angry, furious. is, ea, id, dem. pron., this, that; he, she, it, they. iste, ista, istud, dem. pron., that of yours, that. ita [is], adv., in this manner, thus, so; ita ut, as. Italia, -ae, f., Italy. ita-que, adv., and so, accordingly, therefore. iter, itineris [eo], n., a going, journey, march; iter facere, to journey, march. iterum, adv., again, a second time. Ithaca, -ae, f., Ithaca. iubeo, iubere, iussi, iussus, bid, order, command. iucundus, -a, -um, sweet, pleasant. iudex, iudicis [ius + dico], m., judge. iugum, -i [iungo], n., yoke. iungo, iungere, iunxi, iunctus, join; yoke, harness. Iuno, -onis, f., Juno. Iuppiter, Iovis, m., Jupiter or Jove. ius, iuris, n., right, justice, law; ius dicere, to pronounce judgment; ius iurandum, iuris iurandi [ger. of iuro, swear], oath. iussum, -i [part, of iubeo], n., order, command. iussus, -us [iubeo], m., bidding, command. iustus, -a, -um [ius], just. iuvenis, -is, m., young man, youth.

L

